AN. LXXXI SERIES VII FASC. II. AN. 1956

MONITOR ECCLESIASTICUS

Fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro GENNARI
peculiari S. Sedis adprobatione continuatur

MODERANTIBUS

ARCADIO LARRAONA
Secretario S. C. De Religiosis

FLORENTIO ROMITA
A Studiis S. C. Concili

ADIUVANTIBUS

ANTONELLI F., O. F. M., Relator. Gener. Sect. Hist. S. C. Rituum — BARTOCCETTI V., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum — BENDER L., O. P., in Pont. Athenaeo *Angelicum* Professore Juris Canonici — BIDAGOR R., S. J., Cons. S. C. De Disciplina Sacramentorum — CAPPELLO F. M., S. J., Cons. S. C. Concilii — CASTELLANO M., Ep. Volateranno — DE ANGELIS S., Substit. S. Paenitentiariae Apostolicae — GUTIERREZ A., A Studiis S. C. De Religiosis — HERMAN Ae. S. J., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — LENTI PROF. J., Adv. S. Romanae Rotae — MAURO A., Add. Secr. Status — OESTERLE G., O. S. B., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — PAVENTI X., A Studiis S. C. De Propaganda Fide — ROMANI S., Subpromot. Fidei S. C. Rituum — ROMEO A., A Studiis S. C. De Semin. et Univers. Stud. — ZERBA C., Subsecr. S. C. De Disciplina Sacramentorum

Aliisque S. Romanae Curiae Officialibus, Consultoribus et Advocatis.

DESCLÉE & C[I] — EDITORES PONTIFICII

ROMAE (117) PIAZZA GRAZIOLI N. 4 — TEL. 64.395 — C. C. P. 1-4270

OFFICIUM REDACTIONIS ET ADMINISTRATIONIS - PIAZZA GRAZIOLI N. 4. TEL. 63.931

Periodico Trimestrale - Sped. in Abb. Post. - Gruppo IV

IMPRIMATUR

Sorae, 15 - VI - 1956.

† Blasius Musto
Episcopus Aquini, Sorae et Pontiscurvi

OMNIA IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

TIPOGRAFIA EDITRICE M. PISANI - ISOLA DEL LIRI

SUMMARIUM

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS

Acta Pii PP. XII

LITTERAE ENCYCLICAE: ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios, pacem et communionem cum Aposlolica Sede habentes: De Murica Sacra. (ROMITA, F.). . . . . Pag. 191

S. S. Congregatio S. Officii.

INSTRUCTIO ad Ordinarios ommes necnon ad Magistros in seminariis, in Athenaeis, vel in studiorum Universitatibus docentes et ad lectores in studiorum domibus Religiosorum: de « Ethica Situationis ». (***). . . . . » 223

S. Congregatio De Disciplina Sacramentorum.

INSTRUCTIO ad locorum Ordinarios pro postulandis Apostolicis indultis (ZERBA, C.). . . . . » 228

ACTA OFFICIORUM

Pontificia Commissio De Re Biblica.

INSTRUCTIO ad Excellentissimos locorum Ordinarios de consociationibus biblicis et de conventibus ac coetibus eiusdem generis. (SPADAFORA, F.). . . . . » 240

JURISPRUDENTIA SACRAE ROMANAE ROTAE

Sacra Romana Rota

Coram B. P. D. Pericle FELICI *Ponente. Nullitatis Matrimonii.* (Ob conditionem appositam — ob vim et metum). Decisio diei 17 ianuarii 1956. . . . . » 249

Coram R. P. D. Dino STAFFA, *Ponente.* CYPREN MARONITARUM. *Nullitatis Matrimonii* (Super nullitale dispensationis ob defectum causarum. SENTENTIA DEFINITIVA diei 23 martii anni 1956. . » 253

Coram R. P. D. Pericle FELICI, *Ponente.* FLORENTINA. *Nullitatis Matrimonii* (*ex capile defectus consensus ob phraenastheniam*). Decisio diei 22 maii 1956. . . . . » 264

STUDIA ET CONSULTATIONES

PAVENTI, X. De regione Missionali . . . . . Pag. 271
RUOTOLO, R. Natura giuridica della Congregazione di S. Cecilia. » 274

JUS ECCLESIASTICUM

Italia.

Delibazione di sentenza di nullità di matrimonio preconcordatario. (Legge 27 maggio 1929, art. 22, n. 847 - CASSAZIONE I° Sez. Civile - 15 Aprile 1955.) . . . . . » 329

RECENSIONES

SPADAFORA, F. *Collettivismo e Individualismo nel Vecchio Testamento.* (* * *) . . . . . » 335
VROMANT, G. - BONGAERTS, L. *De fidelium associationibus.* (CASSOLA, O.). . . . . » 336
WILLIAM, F. - FITZGERALD. *The Parish Census vnd the Liber Status Animarum.* (HERDEGEN, G.). . . . . » 337

DOCUMENTA

Pii PP. XII. ALLOCUTIONES. Cultoribus, Docentibus et Dirigentibus internationalis ex magnis Institutis atque Lyceis de Archeologia, de Historia ac de Artis Histori in Urbe decem abhinc annos conditae. . . . . » 339
— Iis quae interfuerunt Conventui tertio decimo internationali universalis puellarum catholicarum (F. M. J. F. C.), Romae habito. . . . . » 344
— Iis qui interfuerunt decimo Conventui Foederationis nationalis Italicae Agrorum Culturum, Romae habito. . . . . » 348

CHRONICA

Acta Pii PP. XII. - Acta SS. Congregationum. (MAURO, A.) . . » 353
Index Bibliographicus.

ADNOTATIONES
IN
ACTA SANCTÆ SEDIS

Digitized by the Internet Archive
in 2024

https://archive.org/details/monitor-ecclesiasticus_1956_81_2

ACTA PII PP. XII

LITTERAE ENCYCLICAE

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: DE MUSICA SACRA.*

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Musicae sacrae disciplina semper Nobis summopere cordi fuit; 1.
quare opportunum Nobis visum est eiusmodi causam per Encyclicas has Litteras ex ordine resumere unaque cum ea complures quaestiones postremis hisce decenniis inductas ac disputatas paulo amplius declarare, ut haec nobilissima atque ingenua ars in dies magis conferat ad cultum divinum, splendidius celebrandum et ad spiritualem christifidelium vitam efficacius fovendam. Simul etiam votis illis respondere optavimus quae non pauci ex Vobis, Venerabiles Fratres, pro sua quisque prudentia proposuerunt, quaeque etiam liberalis huius disciplinae eximii artifices et praeclari musicae sacrae cultores in id genus Congressibus habitis conceperunt, et quae denique vel pastoralis vitae experientia vel progredientia huius artis [5] ac doctrinae studia opportune suaserunt. Sic speramus fore, ut quae S. Pius X in suo chirographo quem iure meritoque « iuridicum musicae sacrae codicem » appellavit [1], sapienter sanxit, denuo confirmentur et inculcentur, nova luce illustrentur, novisque commendentur rationibus; ita quidem ut hodiernis condicionibus aptata et aliquo modo locupletata praeclara musicae sacrae ars excelso muneri suo magis magisque respondeat.

I

In tot tantisque naturae donis, quibus Deus, in quo perfectis- 2.
simae concordiae summaeque cohaerentiae est concentus, homines

---

* *A. A. S.*, a. 1956, vol. 48, pag. 5-25.

Numeri marginales indicant versus caput (vulgo *capoverso*). Numeri autem intra parentheses quadratas indicant paginas Commentarii Officialis A. A. S.

[1] Motu Proprio *Fra le sollecitudini dell'ufficio pastorale: Acta Pii X*, vol. I, p. 77.

ad suam « imaginem et similitudinem » creatos [2] exornavit, musica profecto est, utpote quae simul cum ceteris liberalibus artibus ad spiritualia pertineat gaudia et ad animi oblectationem. De ea iure meritoque Augustinus haec habet: « Musica, id est scientia sensusve bene modulandi, ad admonitionem magnae rei, etiam mortalibus rationales habentibus animas Dei largitate concessa est » [3].

3. Nemo igitur mirabitur sacrum cantum et musicae artem, ut ex multis documentis tam antiquis quam recentioribus constat, ad caerimonias quoque religiosas exornandas et decorandas semper et ubique, etiam apud ethnicas nationes, adhibitam esse; et cultum potissimum veri et summi Dei, inde a priscis aetatibus, hisce artibus usum esse. Populus Dei e Mari rubro divinae potentiae miraculo incolumis servatus, victoriae carmen cecinit Domino; et Maria, Moysis ducis soror prophetico donata afflatu, una cum cantante populo tympano concinuit [4]. Postea, cum arca Dei e domo Obededom in urbem David deduceretur, rex ipse « et omnis Israel ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis et citharis et lyris et tympanis et [6] sistris et cymbalis » [5]. Musicae autem in cultu sacro exercendae et cantus rex ipse David statuit ordinem [6]; qui ordo post reditum populi ex exsilio restitutus et usque ad Divini Redemptoris adventum fideliter servatus est. In Ecclesia vero a divino Servatore condita cantum sacrum inde a primordiis in usu et honore fuisse, haud obscure S. Paulus Apostolus significat, cum ad Ephesios haec scribit: « Implemini Spiritu Sancto loquentes vobismetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus » [7]; atque hunc psallendi morem etiam in christianorum conventibus viguisse indicat hisce verbis: « Cum convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet... » [8]. Idem evenisse post aetatem apostolicam testatur Plinius, qui eos qui fidem abnegaverant, affirmasse scribit, « hanc fuisse summam vel culpae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire carmenque Christo quasi deo dicere » [9]. Quae romani in Bithynia proconsulis verba praeclare ostendunt ne persecutionum quidem tempore vocem cantantis Ecclesiae plane siluisse;

[2] Cfr. *Gen.* 1, 26.
[3] *Epist. 161, De origine animae hominis,* 1, 2: *P. L.*, XXXIII, 725.
[4] Cfr. *Ex.* XV, 1-20.
[5] 2 *Sam.* VI, 5.
[6] Cfr. I *Paral.* XXIII, 5; XXV, 2-31.
[7] *Eph.* V, 18 s.; cf. *Col.* III, 16.
[8] 1 *Cor.* XIV, 26.
[9] Plin., *Epist.* X, 96, 7.

quod quidem etiam Tertullianus confirmat cum refert in christianorum conventibus « Scripturas legi, psalmos cani, locutiones proferri » [10].

Libertate et pace Ecclesiae restituta, plurima habentur Patrum et Scriptorum Ecclesiae testimonia, quae psalmos et hymnos liturgici cultus in usu fere cotidiano fuisse confirmant. Immo paulatim etiam novae cantus sacri formae creatae sunt, nova canticorum genera inventa, quae a Cantorum Scholis, praesertim in Urbe Roma, magis in dies exculta sunt. Decessor autem Noster fel. rec. S. Gregorius Magnus, ut memoriae proditur, ea omnia quae a maioribus tradita erant, studiose collegit et sapienter digessit, atque opportunis legibus et normis sacri cantus puritatem et integritatem tutatus est. Ex alma Urbe mos cantandi romanus pedetemptim in alias quoque occi[7]dentis solis partes invectus est, et non solum is novis formis et modis auctus, sed novum etiam cantus sacri genus, carmen nempe religiosum, interdum lingua vulgari modulatum, in usum inductum est. Ipse autem cantus choralis qui a Sancto Gregorio, eius instauratore, « Gregorianus » appellari coeptus est, inde a saeculo VIII vel IX in omnibus fere Europae christianae regionibus solus non fuit ad cultus splendorem conferendum, cum in sacris aedibus instrumentum, quod « organum » dicitur, adhibitum esset. 4.

Ad hunc cantum choralem, inde a saeculo IX, paulatim etiam cantus polyphonicus accessit, cuius doctrina et usus insequentibus saeculis magis magisque exculta sunt, et qui praesertim saeculo XV et saeculo XVI, summorum artificum ductu, ad mirabilem quandam perfectionem evectus est. Hunc quoque cantum polyphonicum Ecclesia semper in summo honore habuit et ad sacros ritus magnificentius decorandos etiam in ipsas Basilicas Romanas et in caerimonias pontificales libenter admisit. Eius vis et splendor idcirco etiam aucta sunt, quod cantantium vocibus praeter organum, aliorum quoque instrumentorum musicorum sonus adiunctus est. 5.

Itaque, Ecclesia fautrice et auspice, musicae sacrae disciplina per saeculorum decursum est longum emensa iter, quo, etsi interdum lente et laboriose, paulatim tamen ad perfectiora ascendit: a simplicibus nempe atque ingenuis, sed in suo genere perfectissimis, Gregorianis modulationibus ad grandia usque ac magnifica artis opera, quae non modo humanae voces, sed organa quoque atque cetera musica instrumenta decorant, exornant atque in immensum fere 6.

[10] Cfr. TERTULL., *De anima*, c. 9: *P. L.*, II, 701; et *Apol.* 39: *P. L.*, 1, 540.

amplificant. Eiusmodi artis musicae progressus ut manifeste ostendit quantopere Ecclesiae cordi fuerit cultum divinum in dies spendidiorem ac populo christiano iucundiorem efficere, ita etiam patefacit, cur eadem Ecclesia identidem impedire debuerit quominus recti fines excederentur et, una cum veri nominis profectu, etiam profanum aliquid et a sacro cultu alienum in sacram musicam irreperet eamque depravaret. [8]

7. Huic sollicitae vigilantiae muneri Summi Pontifices nullo non tempore diligenter satisfecerunt; atque etiam Tridentina Synodus sapienter proscripsit « musicas eas, ubi sive organo sive cantu lascivum aut impurum aliquid miscetur » [11]. Ut alios non paucos Summos Pontifices praetermittamus, Decessor Noster fel. mem. Benedictus XIV per Encyclicas Litteras, quas die XIX mensis Februarii anno MDCCXXXXIX, iubilaeo maximo appetente, dedit, quaeque diserta eruditione argumentorumque excellunt copia, Episcopos peculiari modo adhortatus est, ut illicitae immodicaeque rationes in sacram musicam insolenter inductae omni ope prohiberentur [12]. Per eandem viam Decessores Nostri ingressi sunt Leo XII, Pius VIII [13], Gregorius XVI, Pius IX, Leo XIII [14]. Verumtamen iure meritoque asseverari potest Decessorem Nostrum imm. mem. S. Pium X instaurationis ac reformationis sacrae musicae veluti summam confecisse, principiis ac normis a maioribus traditis denuo inculcatis apteque, prout recentioris aetatis condiciones postulabant, opportune in unum redactis [15]. Denique ut proximus Decessor Noster fel. rec. Pius XI, per Constitutionem Apostolicam *Divini cultus sanctitatem* die XX Decembris, anno MDCCCCXXIX, datam [16] ita Nosmet ipsi per Encyclicas Litteras quae a verbis *Mediator Dei* incipiunt, die XX mensis Novembris, anno MDCCCCXXXXVII, superiorum Pontificum praescripta lucupletavimus et confirmavimus [17].

---

[11] Conc. Trid., Sess. XXII: *Decretum de observandis et evitandis in celebratione Missae.*

[12] Cfr. BENEDICTI XIV Litt. Enc. *Annus qui:* Opera omnia (ed. Prati, Vol. 17, 1, p. 16).

[13] Cfr. Litt. Apost. *Bonum est confitei Domino,* d. d. 2 Aug. 1828. Cfr. *Bullarium Romanum,* ed. Prati, ex Typ. Aldina, t. IX, p. 139 sq.

[14] Cfr. *Acta Leonis XIII,* vol. XIV (1895), p. 237-247; *Acta S. Sed.,* vol. XXVII (1894) p. 42-49.

[15] Cfr. *Acta Pii X,* vol. I. p. 75-87; *Acta S. S.* XXXVI (1903-4), 329-339; 387-395.

[16] Cfr. *A. A. S.,* vol. XXI, 1929, p. 33 sq.

[17] Cfr. *A. A. S.,* vol. XXXIX, 1947, p. 521-595.

II

Nemo sane mirabitur quod Ecclesia tam vigilanter de musica sacra sollicita sit. Non enim de legibus agitur aestheticis [9] vel technicis, ad nobilem hanc musicae disciplinam quod attinet, ferendis; sed illud Ecclesiae propositum est, ut hanc contra omnia tutetur quibus eadem minus digna reddi possit, quippe quae in re tanti momenti, quanti est cultus divinus, in ministerium arcessatur. 8.

Musica sacra hac in re non aliis legibus et normis obtemperat, nisi iis quae omni arti religiosae, immo arti in universum praescribuntur. Iamvero non ignoramus quosdam artis cultores postremis hisce annis, magna cum christianae pietatis offensione, in aedes sacras ausos esse opera inducere ab ipsis confecta, quae omni religionis afflatu careant, et quae etiam rectis artis rationibus prorsus repugnent. Quem deplorandum agendi modum speciosis probare conantur argumentis quae ex propria artis natura et indole fluere asseverant. Instinctum enim illum, quod artificis mens tangatur, liberum esse dictitant neque fas esse eidem imponere leges et normas ab ipsa arte alienas, sive religiosas sive morales, cum iis et artis dignitas graviter laedatur et artificis actioni sacro afflatu impulsae quasi vincula et compedes iniciantur. 9.

Huiusmodi autem argumentis quaestio movetur sane ardua et gravis quae ad omnem artem omnemque artificem spectat, neque rationibus artis et aestheticae disciplinae persolvitur, sed e supremo finis ultimi principio decernenda est quo omnis homo omnisque humana actio inviolate sancteque regitur. Hominis enim ad finem suum ultimum — qui Deus est — ordinatio ac directio lege absoluta et necessaria, in Dei ipsius natura et infinita perfectione fundata, ita firmatur, ut ne Deus quidem quemquam ab ea possit eximere. Qua lege aeterna et immutabili praecipitur, ut et homo ipse et omnes eius actiones Dei infinitam perfectionem, in Creatoris laudem et gloriam, manifestent et pro viribus imitentur. Homo igitur, cum ad hunc supremum finem consequendum natus sit, ad divinum archetypum se conformare omnesque facultates suas cum corporis tum animi, recte inter se ordinatas et fini obtinendo [10] debite subiectas, agendo dirigere debet. E sua igitur cum ultimo fine hominis consensione et concordia etiam ars eiusque opera iudicanda sunt; quae ars certe inter nobilissimas humani ingenii exercitationes numeranda est, quippe quae ad infinitam pulchritudinem divinam spectet humanis operibus exprimendam eiusque quasi imago reper- 10.

cussa sit. Quapropter tritum illud effatum « ars propter artem », quo artem, fine illo omni creaturae penitus inhaerente neglecto, a quibusvis legibus quae non ex ipsa sola emanent, omnino eximi perperam asseverant, aut omni vi caret aut ipsi Deo, Creatori et ultimo fini, gravem contumeliam infert. Libertas autem artificis — quae non est caecus ad agendum impetus proprio arbitrio vel quodam novitatis studio ductus —, eo quod divinae legi subiecta est, minime coarctatur vel tollitur, sed potius nobilitatur atque perficitur.

11. Haec, ut de omnibus cuiusvis artis operibus dici debent, ita etiam ad artem religiosam et sacram pertinere in aperto est. Immo ars religiosa Deo eiusque laudi ac gloriae provehendae etiam magis addicitur, cum nihil aliud ei propositum sit nisi ut operibus suis, sive oculis sive auribus oblatis, ad christifidelium mentes pie ad Deum convertendas plurimum conferat. Artifex igitur qui fidei veritates non profiteatur vel animo et vivendi ratione procul a Deo versetur, ad artem religiosam manus nequaquam admoveat: caret enim illo quasi interiore oculo quo videat quid postulet Dei maiestas Deique cultus, neque sperare potest fore, ut opera sua religionis expertia, etsi forte hominem artis peritum et dexteritate quadam exteriore praeditum ostendant, revera illam pietatem et fidem spirent quae templum Dei eiusque sanctitatem deceant atque adeo digna sint quae ab Ecclesia, vitae religiosae custode et arbitra, in aedes sacras admittantur.

12. Ille autem artifex qui fidem firmiter tenet vitamque christiano homine dignam agit, Dei amore impulsus ac viribus a Creatore sibi concessis religiose usus, omni ope contendet, ut [11] veritates quas tenet et pietatem quam colit, tam scite, tam venuste atque iucunde coloribus vel lineis vel sonis atque concentibus exprimat et proponat, ut haec sacra artis exercitatio et ipsi sit quasi cultus ac religio et populum ad fidem profitendam ac pietatem colendam magnopere excitet et inflammet. Huiusmodi autem artifices Ecclesia semper in honore habuit atque habebit ipsisque templorum ianuas late aperit et pandit, cum gratum ei obveniat non parvum adiumentum quod iidem arte sua et industria afferunt ad ipsius ministerium apostolicum efficacius exsequendum.

13. His quidem artis religiosae normis ac legibus musica sacra etiam arctiore et sanctiore devincitur vinculo, quia propius quam pleraeque aliae artes liberales, ut architectura, disciplina pingendi et fingendi, ad ipsum cultum divinum accedit: illae enim ritibus divinis dignam sedem parare student, haec vero in ipsis caeri-

moniis sacris et ritibus exsequendis praecipuum quendam obtinet locum. Quare Ecclesia summa cum cura cavere debet, ut ab eadem, quippe quae sit sacrae liturgiae quasi administra, diligenter arceatur quidquid cultum sacrum minus deceat vel fidelibus adstantibus in mentibus ad Deum extollendis impedimento esse possit.

Haec enim est sacrae musicae dignitas, hoc sublime eius pro- 14.
positum, ut voces sive sacerdotis offerentis sive populi christiani Summum Deum laudantis pulcherrimis suis modulationibus suisque fulgoribus decoret et exornet, adstantium fidelium mentes vi quadam et virtute sibi innata ad Deum rapiat, liturgicas christianae communitatis preces vividiores ferventioresque reddat, quo validius, impensius, efficacius omnes Deum Unum et Trinum laudare eique supplicare possint. Augetur igitur sacrae musicae ope honor ab Ecclesia cum Christo Capite coniuncta Deo tributus; augetur etiam fructus, quem fideles, sacris concentibus moti, ex sacra Liturgia colligunt et vita ac moribus christiano homine dignis manifestant, ut et ipsa cotidiana experientia docet et multa monumento [12] litterarum antiqua et recentiora confirmant. Haec S. Augustinus de cantibus « liquida voce et convenientissima modulatione » prolatis agens fatetur: « Ipsis sanctis dictis religiosius et ardentius sentio moveri animos nostros in flammam pietatis, cum ita cantantur, quam si non ita cantarentur, et omnes affectus spiritus nostri pro sui diversitate habere proprios modos in voce atque cantu, quorum nescio qua occulta familiaritate excitentur » [18].

Hinc facile concluditur musicae sacrae dignitatem et vim eo 15.
maiorem esse quo proprius ad summum illud christiani cultus opus, Eucharisticum nempe altaris sacrificium, accedit. Nihil igitur altius, nihil sublimius agere potest quam ut sacerdotis divina victima litantis vocem dulci comitetur sono, eiusque appellationibus cum populo adstante laete respondeat ac totam sacram actionem nobili sua arte collustret. Ad hoc excelsum ministerium illud prope accedit quod eadem sacra musica efficit, cum alias liturgicas caerimonias, imprimis Divini Officii in choro recitationem, comitatur et exornat. Huic igitur musicae « liturgicae » summus honor summaque laus tribuenda sunt.

Nihilominus illa quoque musica magni habenda est quae, etsi 16.
sacrae Liturgiae non praecipue inservit, argumento tamen et fine religionem valde iuvat, ideoque iure merito musica « religiosa »

---

[18] S. Augustin., *Confess.*, lib. X, c. 33, *P. L.*, XXXII, 799 s.

nuncupatur. Verum illud quoque musicae sacrae genus, quod « populare » appellatur et ab Ecclesia ortum habuit eaque auspice felicia cepit incrementa, experientia teste magnam salutaremque exercere potest in christifidelium animos vim et virtutem, sive intra templa in actionibus et caerimoniis non liturgicis usurpatur, sive extra sacrarum aedium saepta ad varia sollemnia et celebrationes adhibetur. Horum enim cantuum, qui plerumque vulgari sermone concepti sunt, modulationes nullo paene nisu ac labore memoriae imprimuntur, atque simul cum modulationibus verba quoque et sententiae menti [13] inhaerent, saepe repetuntur, penitius intelliguntur. Quo fit, ut etiam pueri et puellae, tenera aetate eiusmodi sacros cantus ediscentes, iis ipsis egregie iuventur, ut fidei nostrae veritates cognoscant, gustent, memoria teneant, atque ita catecheseos ministerium non parum proficiat. Adulescentioribus autem et adultis carmina illa religiosa, dum ludicris animum recreant, puram et castam praebent delectationem, sollemnioribus conventibus et coetibus magnificentiam quandam religiosam tribuunt, immo ipsis familiis christianis pium gaudium, dulcem consolationem spiritualemque afferunt profectum. Quare hi quoque religiosi concentus populares apostolatui catholico validum praebent adiumentum omnique cum cura colendi atque promovendi sunt.

17. Cum igitur musicae sacrae multiplicem virtutem et efficacitatem apostolicam extollimus, rem significamus quae omnibus qui eiusdem cultui et exercitationi quocumque modo sese dediderunt, summo gaudio et solacio esse potest. Omnes enim qui sive musicos modos ea qua pollent arte componunt, sive qui eos moderantur, sive denique qui vel vocibus vel musicis instrumentis eosdem in concentus traducunt, hi omnes procul dubio, etsi variis diversisque rationibus, verum atque germanum exercent apostolatum et apostolorum praemia et honores, pro suo quisque munere fideliter expleto, a Christo Domino copiose percipient. Magni igitur hoc suum munus aestiment, quo quidem non solum artifices sunt et artis magistri, sed etiam Christi Domini ministri et in apostolatu adiutores, atque hanc sui muneris dignitatem moribus etiam et vita profiteantur.

III

18. Cum tanta sit, ut modo exposuimus, musicae sacrae et cantus religiosi dignitas et efficacitas, summopere necessarium est, ut

in omnibus suis partibus diligenti studio et cura ita conformetur, ut salutares suos fructus feliciter edere possit. [14]

Ac primum quidem cantus ille et musica sacra quae cum li- 19.
turgico Ecclesiae cultu proxime coniunguntur, ad excelsum sibi propositum finem conducant oportet. Haec igitur musica — quod iam sapienter monuit Decessor Noster S. Pius X —, « proprias liturgiae qualitates possideat necesse est, in primisque sanctitatem ac bonitatem formae; unde alia nota suapte exoritur, universitas » [19].

Sancta sit; quidquid profanum sapit, neque in se recipiat ne- 20.
que in eos modos, quibus proponitur, irrepere sinat. Hac sanctitate praeclare praestat cantus ille Gregorianus qui per tot saeculorum decursum in Ecclesiae usu est, eiusque quasi patrimonium vocari potest. Hic enim cantus, ob intimam modulationum convenientiam cum sacro verborum textu, non solum iisdem arctissime accomodatur, sed eorundem etiam vim atque efficacitatem quasi interpretatur, ac suavitatem audientium mentibus instillat; idque efficit musicis modis simplicibus quidem et planis, sed arte tam sublimi tam sancta afflatis, ut et omnibus sinceram moveant admirationem, et ipsis musicae sacrae peritis eiusque artificibus quasi fons inexhaustus evaserint, ex quo novos hauserint concentus. Hunc sacri cantus Gregoriani pretiosum thesaurum diligenter conservare et populo christiano copiose impertire omnium eorum est, quibus Christus Dominus divitias Ecclesiae suae custodiendas et dispensandas concredidit. Quare, quod Decessores Nostri S. Pius X, qui iure cantus Gregoriani instaurator vocatur [20], et Pius XI [21] sapienter ordinaverunt et mulcaverunt, idem Nos quoque, praeclaris illis perpectis notis, quibus nativus pollet Gregorianus cantus, efficiendum optamus et praescribimus; ut nempe in sacris peragendis liturgicis ritibus idem sacer cantus latissime usurpetur, atque omni cum cura prospiciatur, ut recte, digne pieque exsecutioni mandetur. Quodsi, propter dies [15] festos recens in usum inductos, novae componendae erunt modulationes, id a magistris huius artis vere peritis eo modo fiat, ut propriis genuini cantus Gregoriani legibus fideliter obtemperetur, et novae modorum compositiones cum vetustioribus virtute et puritate digne concertent.

---

[19] *Acta Pii X*, l. c. p. 78.

[20] Lettera al Card. Respighi, *Acta Pii X*, l. c. 68-74; v. p. 73 sq.; *Acta S. Sedis*, vol. XXXVI (1903-04), pp. 325-329; 395-398; v. 398.

[21] Pius XI, Const. Apost., *Divini cultus: A. A. S.*, vol. XXI (1929), p. 33 sq.

21. Haec si reapse omni ex parte servata fuerint, alteri quoque musicae sacrae proprietati debito modo satisfactum erit, ut ea nempe *verae artis specimen* praebeat; et si in totius terrarum orbis catholicis templis Gregorianus cantus incorrupte et integre resonuerit, ipse quoque, sicut sacra Romana Liturgia, *universitatis* prae se feret notam, ita ut christifideles, ubicumque terrarum versantur, familiares sibi ac quasi domesticos percipiant concentus, atque adeo miram Ecclesiae unitatem vero cum animi solacio experiantur. Haec quidem una est ex praecipuis rationibus, cur Ecclesia tantopere exoptet ut cum latinis sacrae Liturgiae verbis eorundem verborum cantus Gregorianus arcte conectatur.

22. Haud ignoramus sane ab hac ipsa Apostolica Sede ob graves causas quasdam sed omnino definitas exceptiones hac in re concessas esse, quas tamen nequaquam latius proferri vel propagari, nec sine debita eiusdem Sanctae Sedis venia, ad alias regiones transferri volumus. Quin immo ibi etiam, ubi eiusmodi concessionibus frui licet, locorum Ordinarii ceterique sacri pastores sedulo curent, ut christifideles inde a pueris saltem faciliores et magis usitatas modulationes Gregorianas addiscant, eisque etiam in sacris ritibus liturgicis uti sciant, ita ut hac quoque re Ecclesiae unitas et universitas in dies magis effulgeat.

23. Verum tamen, ubi saecularis vel immemorabilis consuetudo fert ut in sollemni Sacrificio Eucharistico, post sacra verba liturgica latine cantata, nonnulla popularia vulgaris sermonis cantica inserantur, locorum Ordinarii id fieri sinere poterunt, « si pro locorum ac personarum adiunctis existiment eam (consuetudinem) prudenter submoveri non posse » [22], firma tamen [16] lege qua statutum est ne ipsa verba liturgica vulgari lingua canantur, quemadmodum supra cautum est.

24. Ut autem cantores populusque christianus recte intellegant quae liturgica verba modulationibus musicis illigata significent, placet Nobis hortationem usurpare a Patribus Concilii Tridentini adhibitam praesertim « pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se vel per alios ex iis quae in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cetera sanctissimi huius sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus potissimum dominicis et festis » [23]; idque praesertim eo tem-

---

[22] *Codex Iuris Canonici*, can. 5.

[23] Conc. Trid., Sess. XXII, *De sacrificio Missae*, c. VIII.

pore agant, cum nempe catechesis plebi christianae traditur. Id hac nostra aetate facilius et expeditius, quam anteactis saeculis, fieri poterit, propterea quod verba Liturgiae in vulgarem sermonem conversa eorumque explanationes in manualibus libris et libellis prostant, qui in omnibus fere nationibus a peritis scriptoribus confecti, christifideles efficaciter iuvare et illuminare possunt, ut ipsi quoque ea intellegant et quasi participent quae a sacrorum administris lingua latina proferuntur.

Facile patet quae hic breviter de cantu Gregoriano exposui- 25.
mus, ad latinum potissimum Ecclesiae Ritum romanum pertinere; sed pro rata parte ad cantus quoque liturgicos aliorum Rituum accomodari posse, sive occidentalium populorum, ut Ambrosiani, Gallicani, Mozarabici, sive variorum Rituum Orientalium. Hi enim omnes, sicut miram Ecclesiae in actionibus liturgicis et in precum formulis demonstrant ubertatem, ita etiam in suo quisque cantu liturgico pretiosos conservant thesauros, quos non solum ab omni interitu oportet custodire et vindicare, sed etiam ab omni diminutione et depravatione. Inter musicae sacrae monumenta antiquissima et praestantissima, praecipuum quendam procul dubio obtinent locum cantus liturgici variorum Rituum Orientalium, quorum modulationes plurimum valuerunt ad modos musicos ipsius [17] Occidentalis Ecclesiae efformandos, temperamentis habitis pro indole Latinae liturgiae propria. Nostris in optatis est, ut sacrorum Rituum Orientalium concentuum delectus — cui quidem absolvendo sedulo adlaborat Pontificium Institutum Orientalium Studiorum, sociam ferente operam Pontificio Instituto Musicae Sacrae — laetis proficiat incrementis, ad doctrinam et ad usum quod attinet; ita quidem ut sacrorum alumni ex Orientalibus Ecclesiae Ritibus cantu quoque sacro optime instituti, cum sacerdotale munus adepti fuerint, hac quoque ratione ad decorem domus Dei augendum valde conferre possint.

Mens Nobis non est hisce sententiis, quas in cantus Gregoriani 26.
laudem et commendationem modo exposuimus, polyphoniam sacram a ritibus Ecclesiae arcere, utpote quae, si debitis exornetur proprietatibus, ad divini cultus magnificentiam et ad animos christifidelium piis affectibus commovendos insigniter iuvare possit. Neminem sane fugit multos concentus polyphonicos, qui potissimum saeculo XVI compositi sunt, tali artis puritate talique modorum amplitudine refulgere, ut omni ex parte digni habendi sint qui sacros Ecclesiae ritus comitentur et quasi illustrent. Quodsi ger-

mana ars polyphonica saeculorum decursu paulatim decidit nec raro profani in eam irrepserunt modi, proximis hisce decenniis indefesso peritorum magistrorum studio felicem nacta est quasi instaurationem, cum et veterum artificum opera sedulo investigentur et hodiernorum modulatorum imitationi et aemulationi proponantur.

27. Sic factum est, ut in Basilicis et cathedralibus aedibus et in familiarum religiosarum templis tam magnifica illa veterum magistrorum opera quam recentiorum auctorum polyphonicae compositiones summo cum sacri ritus decore proferri possint; quin etiam in minoribus aedibus sacris simpliciores, sed sincera arte digne confectos concentus polyphonicos novimus non raro proponi. Ecclesia autem omnes hos conatus favore suo prosequitur; ipsa enim, ut ait Decessor Noster imm. rec. S. Pius X, « artium progressum indesinenter coluit, eique favit, ad religio[18]nis usum omnia admittens quae hominis mens bona pulcraque per saeculorum cursum invenit, salvis tamen liturgiae legibus » [24]. Hae autem leges monent, ut in hoc gravi negotio omnis prudentia et cura adhibeatur, ne tales concentus polyphonici in templa inducantur qui ob tumidum quoddam et inflatum modulationis genus vel sacra Liturgiae verba nimietate quadam obscurent vel divini ritus actionem intercipiant vel denique cantorum peritiam et facultatem, cum sacri cultus dedecore, omnino deprimant.

28. Hae quidem normae transferendae sunt etiam ad usum organi ceterorumque musicorum instrumentorum. Inter haec autem, quibus ad templa patet aditus, iure merito potiorem locum obtinet organum, quippe quod egregie accommodetur sacris canticis sacrisque ritibus, et Ecclesiae caerimoniis mirum addat splendorem et peculiarem magnificentiam, fidelium autem animos sonorum granditate et dulcedine permoveat, mentes laetitia quasi caelesti perfundat, et ad Deum ac superna vehementer extollat.

29. Praeter organum autem alia quoque sunt instrumenta quae efficaciter ad excelsum finem assequendum musicae sacrae in auxilium vocari possunt, dummodo nihil profanum, nihil clamosum et strepens redoleant, quod sacrae actioni et loci gravitati neutiquam conveniat. Praecellunt autem hac in re musica illa instrumenta, quorum chordae parvo, ut dicitur, arcu fricata sonant, quia, tum sola, tum cum aliis instrumentis vel organo sociata, seu maestos, seu laetos animi sensus ineffabili vi quadam exprimunt. Cetero-

[24] *Acta Pii X*, l. c. p. 80.

quin de musicae modis qui a religionis catholicae cultu vix removendi sunt, iam Nosmet ipsi in Litteris Encyclicis quae a verbis *Mediator Dei* incipiunt diserte clareque constituimus. « Quin immo, si nihil iidem habeant, quod profanum sapiat vel loci ac liturgicae actionis sanctitatem dedeceat neque ex inani quodam miri atque insoliti studio [19] oriantur, tum profecto eis templa nostra pateant, cum ad sacrorum rituum splendorem mentesque ad altiora elevandes simulque ad veram animi refovendam pietatem haud parum conferre queant » [25]. Vix tamen opus est monere, ut, ubi vires atque peritia tantis operibus impares sint, ab huiusmodi conatibus potius abstineatur quam ut opus cultu divino et sacris conventibus minus dignum proponatur.

Ad haec quae arctius cum sacra Ecclesiae Liturgia coniunguntur, accedunt, ut supra monuimus, cantus religiosi populares, plerumque lingua vulgari concepti, qui ex ipso cantu liturgico originem ducunt, sed cum magis sint ad singulorum populorum mentem et affectum accommodati, secundum variarum gentium et regionum indolem non parum inter se differunt. Ut eiusmodi cantica religiosa christiano populo spiritualem fructum et utilitatem afferant, ad catholicae fidei doctrinam plene conformentur oportet, eam recte proponant et explicent, lingua utantur plana et modulatione simplici, a tumida et inani verborum profluentia immunia sint, ac denique, etsi brevia sunt et facilia, quandam prae se ferant religiosam dignitatem et gravitatem. Hac ratione confecta haec sacra cantica, quasi ex intimis popularis animi penetralibus nata, sensus et animos vehementer commovent piosque excitant affectus; et cum in religiosis ritibus a multitudine congregata una quasi voce proferuntur, magna quadam vi fidelium mentes erigunt ad excelsa. Quapropter, etsi, ut supra scripsimus, in Eucharisticis Sacrificiis sollemniter cantatis sine peculiari Sanctae Sedis venia haberi non debent, tamen in sacris non sollemniter celebratis mirum in modum iuvare possunt, ut christifideles Sancto Sacrificio non tantum ut muti et quasi inertes spectatores assistant, sed sacram actionem mente et voce comitantes suam pietatem cum sacerdotis precibus coniungant, dummodo cantus illi singulis Sacrificii partibus recte aptentur, ut in [20] multis orbis catholici regionibus iam fieri magno cum gaudio novimus. 30.

---

[25] *A. A. S.*, vol. XXXIX (1947), p. 590.

31. In ritibus autem non plene liturgicis eiusmodi cantica religiosa, dummodo debitis dotibus, ut supra diximus, praedita sint, egregie conferre possunt ad populum christianum salutariter alliciendum, erudiendum, sincera pietate imbuendum, ac sancta denique laetitia implendum; idque tam intra sacras aedes, quam extra eas, praesertim in piis ducendis pompis et in peregrinationibus ad sacras imagines, parique modo in religiosis sive unius, sive omnium nationum celebrandis Congressibus. Ea autem potissimum utilia esse poterunt cum de pueris et puellis agitur ad veritatem catholicam informandis, itemque de iuventutis consociationibus et de piarum sodalitatum conventibus, ut non semel experientia manifeste ostendit.

32. Quare facere non possumus quin Vos, Venerabiles Fratres, enixe hortemur ut huiusmodi popularem ad religionem pertinentem cantum in dioecesibus Vobis concreditis omni cura et industria foveatis et promoveatis. Non deerunt Vobis viri huius rei periti, qui huiusmodi cantica, ubi id nondum factum est, opportune colligant et in unum corpus redigant, quo facilius ab omnibus fidelibus edisci, expedite cantari, firmiter memoria teneri queant. Qui religiosae puerorum et puellarum institutioni praesunt, his efficacibus adiumentis debito modo uti ne omittant, et iuventutis catholicae moderatores eadem prudenter in munere gravissimo ipsis concredito usurpent. Sic spes est fore ut illud quoque feliciter obtineatur, quod omnium in votis est, ut nempe profanae illae cantiones quae sive ob modulationum mollitiem sive ob verba saepe voluptaria et lasciva quae eas comitantur, christianis, iunioribus praesertim, periculo esse solent, e medio tollantur eisque locum cedant, quibus casta et pura comparetur delectatio et simul fides ac pietas nutriantur et augeantur, atque ita fiat ut plebs christiana iam hic in terris illud laudis canticum canere incipiant, quod in [21] aeternum cantabit in caelo: « Sedenti in throno et Agno benedictio et honor et gloria et potestas in saecula saeculorum » [26].

33. Quae hucusque scribendo exposuimus, ad illos potissimum Ecclesiae populos pertinent, in quibus religio catholica iam firmiter stabilita est. In sacrarum autem Missionum regionibus fieri non poterit, ut haec singula omnino exsecutioni mandentur, priusquam christianorum numerus satis creverit, aedes sacrae ampliores

---

[26] *Apoc.* V. 13.

exstructae fuerint, scholae ab Ecclesia institutae a christianorum filiis rite frequententur, ac denique administrorum sacrorum par necessitatibus adsit numerus. Attamen operarios apostolicos in amplissimis illis vineae Domini partibus sedulo laborantes enixe hortamur, ut inter gravissimas muneris sui curas huic quoque negotio animum diligenter advertant. Multi ex populis Missionalium ministerio concreditis mirum quantum delectantur musicis modulationibus et caerimonias idolorum cultui dedicatas cantu sacro exornant. Prudentiae igitur non est hoc apostolatus subsidium efficax a Christi veri Dei praeconibus parvipendi vel omnino neglegi. Quare Evangelii in ethnicorum regionibus nuntii hunc religiosi cantus amorem, quem homines ipsorum curis commissi fovent, in munere suo apostolico explendo libenter promoveant, ita quidem ut hae gentes suis religiosis canticis, quae non raro etiam excultis nationibus admirationem movent, similia opponant carmina sacra christiana, quibus veritates fidei, vita Christi Domini, ac B. Mariae V. et Sanctorum laudes lingua et modulationibus iisdem gentibus familiaribus celebrentur.

34. Iidem autem Missionales memores pariter sint Ecclesiam Catholicam, inde ab antiquis temporibus, cum in regiones fidei lumine nondum collustratas Evangelii praecones mitteret, una cum sacris ritibus liturgicos quoque cantus, inter quos Gregorianos modos, inferre contendisse, idque eo consilio ductam, [22] ut populi, ad fidem adducendi, modulationum suavitate capti facilius ad christianae religionis veritates amplectendas permoverentur.

IV

35. Ut ea quae, Encyclicis hisce Litteris Decessorum Nostrorum vestigiis insistentes, commendavimus vel praecepimus ad optatum effectum perducantur, vos, Venerabiles Fratres, omnibus illis adiumentis sollerter utimini, quae excelsum munus Vobis a Christo Domino concreditum et ab Ecclesia commissum offert, quaeque, uti experiundo constat, in multis christiani orbis templis magno cum fructu adhibentur.

36. Ac primum quidem curate, ut in ipso cathedrali templo et, quantum pro rerum condicione licebit, in aliis quoque dicionis vestrae sacris aedibus maioribus, selecta habeatur Schola Cantorum quae aliis exemplo sit et incitamento ad cantum sacrum studiose excolendum et perficiendum. Ubi autem Scholae Cantorum haberi

non possunt, vel congruus non invenitur numerus *Puerorum Cantorum*, conceditur ut « coetus tum virorum ac mulierum seu puellarum, in loco eius soli usui destinato extra cancellos positus, textus liturgicos in Missa sollemni cantare possit, dummodo viri a mulieribus et puellis omnino sint separati, vitato quolibet inconvenienti et onerata super his Ordinariorum conscientia » [27].

37. Magna autem cura providendum est, ut qui in vestris Seminariis et in Missionum vel Religiosorum Institutis ad sacros assequendos Ordines contendunt, musicae sacrae et cantus Gregoriani doctrina et usu ad Ecclesiae mentem recte instituantur a magistris harum artium peritis, qui quidem mores et instituta maiorum magni aestiment et Sanctae Sedis praeceptis ac normis omnino obsequantur.

38. Quodsi inter Seminarii vel Collegii religiosi alumnos aliquis habeatur, qui peculiari huius artis facilitate et amore praeditus [23] sit, Seminarii vel Collegii moderatores vos hac de re monere ne omittant, ut eidem occasionem praebere possitis has suas facultates altius excolendi, eumque vel in Pontificium huius Urbis Institutum Musicae Sacrae vel in aliquod eiusdem disciplinae Athenaeum mittatis, dummodo iis moribus ac virtutibus polleat, quibus optimum se fore sacerdotem spem faciat.

39. Huic rei ideo quoque prospiciendum est, ut Locorum Ordinarii et Religionum Moderatores aliquem habeant, cuius auxilio in re tanti momenti utantur, cui ipsi per se, tot tantisque aliis onerati muneribus, pro necessitate vacare haud facile poterunt. Optimum sane factu est, si in dioecesano Artis Christianae Consilio aliquis habeatur qui musicae sacrae et cantus apprime peritus iis quae in dioecesi fiant, sollerter invigilare possit, et qui de rebus actis et agendis Ordinarium certiorem faciat, eiusdemque iussa et mandata excipiat et exsecutioni mandet. Quodsi in dioecesi aliqua ex illis Sodalitatibus habeatur, quae ad musicam sacram excolendam sapienter institutae et a Summis Pontificibus valde laudatae et commendatae sint, Ordinarius illa quoque, pro sua prudentia, uti poterit in suo explendo munere.

40. Eiusmodi autem pias Sodalitates, quae ad populum sacra musica instituendum vel ad eandem disciplinam altius excolendam conditae, verbis et exemplo ad profectum cantus sacri multum conferre possunt, vestro favore, Venerabiles Fratres, adiuvate et promo-

[27] Decr. S. Rit. Congr. n. 3964; 4201; 4231.

vete, ita quidem ut actuosa vita polleant, ut optimis idoneisque magistri utantur, utque in tota dioecesi musicae sacrae et religiosorum concentuum cognitionem, amorem usumque, debita cum legibus Ecclesiae obtemperatione et plena erga Nosmet ipsos oboedientia, sedulo provehant.

* * *

41. Haec omnia cum paulo fusius paterna sollicitudine permoti pertractaverimus, fore omnino confidimus, ut vos, Venerabiles Fratres, huic sacro negotio, quod ad cultum divinum dignius [24] et magnificentius celebrandum tantopere confert, omnem vestram curam pastoralem sedulo adhibeatis. Quotquot autem in Ecclesia, ductu vestro, musicas res moderantur ac dirigunt eos speramus fore ut Nostris hisce Encyclicis Litteris incitentur ad praeclarum huius generis apostolatum novo quodam ardore novoque studio generose, naviter operoseque promovendum. Hinc aspicato eveniet, ut nobilissima haec ars, quae omnibus Ecclesiae temporibus tanti aestimata est, etiam hodie ad genuinos sanctitatis et venustatis splendore adducta excolatur et in dies perficiatur; atque adeo pro sua parte feliciter efficiat ut Ecclesiae filii firmiore fide, spe vigentiore, flagrantiore caritate Deo Uni et Trino in sacris aedibus debitas tribuant laudes, dignis modis suavibusque concentibus expressas, immo ut etiam extra sacri templi saepta in familiis christianis et in christianorum coetibus illud ad effectum deducat, quod iam S. Cyprianus praeclare monet Donatum: « Sonet psalmos convivium sobrium: et ut tibi tenax memoria est, vox canora, adgredere hoc munus ex more: magis carissimos pascis, si sit nobis spiritualis auditio, prolectet aures religiosa mulcedo » [28].

42. Interea vero uberiorum laetiorumque fructuum spe freti, quos ex hortationibus hisce Nostris orituros esse confidimus, gratae voluntatis Nostrae testem et caelestium donorum auspicem, vobis, Venerabiles Fratres, singulis universis, itemque gregi unicuique vestrum concredito, iis nominatim qui votis Nostris obsequentes musicae sacrae promovendae dant operam, Apostolicam Benedictionem effusa caritate impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXV mensis Decembris, in festo Nativitatis Domini Nostri Iesu Christi, anno MDCCCCLV, Pontificatus Nostri septimo decimo.

PIUS PP. XII

[28] S. CYPRIANI *Epist. ad Donatum* (Epist. 1, n. XVI): *P. L.*, 4, 227.

ANNOTAZIONI

Sommario: Natura e struttura del Documento Pontificio. — Lo spirito informatore e il filo conduttore dell'Enciclica. — *Nova et vetera* nell'Enciclica: l'uso degli strumenti; i cori misti; la *vexata quaestio* della lingua liturgica; il canto popolare; la musica religiosa — L'En. *Musicae sacrae disciplina* sotto l'aspetto storico. —

Natura e struttura del Documento Pontificio

Per valutare obbiettivamente la portata del novissimo Documento Pontificio sulla musica sacra è necessario innanzi tutto chiarirne la natura non soltanto da un punto di vista strettamente giuridico, ma anche sotto il profilo storico; inteso questo nel suo più ampio significato, di relazione cioè del Documento stesso alla tradizione del passato, alla situazione attuale e agli sviluppi che l'arte musicale sacra potrà avere in forza dei principi fissati nell'Enciclica.

Riservandoci di trattare questo secondo aspetto dopo aver accennato ai punti essenziali del nuovo Documento Pontificio, dal punto di vista giuridico si sa che una Lettera Enciclica è un documento essenzialmente dottrinale che il Sommo Pontefice, come Maestro della Chiesa Universale, indirizza alla Gerarchia Cattolica per fissare o chiarire i principi sostanziali, cui Clero e fedeli devono ispirarsi nella soluzione dei problemi vecchi e nuovi che si pongono in un determinato campo della vita spirituale: nel nostro caso, nel campo della musica sacra, che, come la recente Enciclica ha riconfermato e con estrema chiarezza ha illustrato, è tra le arti belle quella che più direttamente interessa il centro della vita spirituale cattolica, la Liturgia.

Invece un Regolamento (come quello del 1884 e del 1894 della S. C. dei Riti sulla musica sacra), un'Istruzione (come il *Motu Proprio* di S. Pio X), una Costituzione Apostolica (come la « *Divini cultus sanctitatem* » di Pio XI), fissano prevalentemente (sia pure in diversa maniera e con differente forza giuridica) norme particolari e analitiche di natura essenzialmente pratica ed esecutiva, sia pure richiamando e proponendo occasionalmente, senza alcuna precisa intenzione teoretica e sistematica, alcuni principi di indole generale.

Sbaglierebbe pertanto chi volesse trovare nella recente Enciclica come un « Testo Unico » delle norme vigenti sulla musica sacra.

Certo, dopo i principi recentemente fissati in materia nell'Enciclica, si rende necessaria una profonda e radicale revisione, rielaborazione e integrazione della legislazione musicale sacra sin'ora vigente, affinchè quei principi si traducano in pratica. Ma per ora è su tali principi che gli studiosi e i musicisti di chiesa devono fermare la loro attenzione: ed è perciò su di essi che ci soffermeremo in queste note di commento.

Ambitus igitur privilegii hodie quam latissime patet. Facultas enim per huiusmodi indultum impertitur sacrum celebrandi *ubique* ac proinde etiam *sub dio* et *sub terra*, mari excepto, secus ac vigebat antiquo iure [1]. Requiritur dumtaxat ut celebratio fiat super petram sacram et ut locus sit honestus et decens, nempe congruus et opportunus tanto Mysterio, ne qua irreverentia eidem irrogetur; non requiritur tamen quod sit a domesticis usibus seiunctus.

Ast, quamvis locus istis cautionibus valletur, paene in immensum extendi cernitur hoc indultum ac proinde nedum in privatis aedibus sed et in cryptis, fodinis, campis, solitudinibus per se sanctum sacrificium litari potest; nempe in omnibus locis ubi fidelium coetus et aggregationes postulant ut divina mysteria celebrentur.

Si altare portatile erigi potest in quocumque loco honesto et decenti, a fortiori dicendum est illud constitui posse in ecclesiis et publicis oratoriis quoties necessitas id exigat: fatendum tamen est suapte natura et ex habituali usu inolito hoc privilegium secumferre celebrationem s. Missae plerumque extra loca sacra divino cultui unice reservata. Immo licet indultum oratorii domestici requirat ut in privatis domibus aliud non possit erigi altare nisi quod proprie portatile sit, etsi formam fixi et stabilis altaris praeseferat, tamen haec duo privilegia, oratorii privati et altaris portatilis, valde inter se differunt, quia in altero maior continetur amplitudo favoris nullam exceptionem inducens praeter exigentiam honestatis et decentiae loci et vetitum celebrandi in mari [2]

2. Equidem, cogente necessitate, tribus primis Ecclesiae saeculis, saevientibus praesertim persecutionibus, et etiam ob ecclesiarum defectum, admodum frequens inoleverat usus altarium portatilium. Tunc sanctum Sacrificium celebrabatur in singulis locis, non exceptis carceribus, ubi fidei confessores detineri contigerat et ex SS. Eucaristiae sumptione fortiores efficiebantur in fidei professione et in martyrio invicto animo subeundo.

Iste usus etiam deinceps, persecutionibus exactis, perseveravit praecipue quum consuetudo invaluerat celebrandi Sacrum in castris;

---

[1] Gasparri, l. c. n. 272, et alii AA. qui negabant posse Missam celebrari sub dio et sub terra (cfr. Cappello, vol. I, n. 759 ad 8).

[2] Cfr. Gattico, *De usu altaris portatilis opusculus*, cap. I, n. 16.

et etiam ob invectum usum a veteribus adhibendi aram viaticam extra ecclesias et publica oratoria ratione infirmitatis, itinerum aliarumque id genus causarum, uti constat ex antiquis Sacramentariis. Hic usus permansit quoque medio et infimo aevo.

His adde morem ecclesiasticorum Praesulum usque ad Concilium Tridentinum servatum litandi Sacrum super aras viaticas infirmitatis vel itineris causa, quum facultas celebrandi in privatis cubiculis pendebat ab Episcoporum arbitrio; qui aras portatiles ob Sacrificium in itineribus litandum secum ferebant, iisque ex privilegio dato a Bonifacio VIII uti valebant extra proprias dioeceses; eoque privilegio potiori iure pollebant S. R. E. Cardinales: nec eodem eximebantur Religiosi.

Demum res incidit in Tridentinum, quod severiori disciplina haec indulta est moderatum. Re enim vera Tridentina Synodus iussit Episcopis ut Missas extra loca sacra interdicerent, nisi intercessisset gravissima causa, poenis etiam in transgressores superadditis, uti apparet ex quadam declaratione S. Congregationis Concilii interpretis et ex actis S. Caroli.

Eadem tamen Congregatio potestatem non ademit Episcopis permittendi iure communi in casibus necessitatis illas Missas: quapropter quoties necessitas coëgisset Sacrum litandi extra loca sacra recurrendum erat pro facultate ad Episcopos, prout veteres canones requirebant et Concilium Tridentinum et episcopalis dignitas: immo quibusdam casibus sufficiebat licentia Episcopi praesumpta.

3. Causae, quae permittebant usum altaris portatilis sub dio et extra loca sacra passim recensebantur: defectus loci sacri vel impossibilitas eum adeundi, incapacitas ecclesiae capiendi turbam populi devoti, tempus pestis et castrorum, si ecclesia diruta esset nullaque alia superesset in loco, pago vel civitate, capax populum recipiendi. In hoc postremo casu tot arae viaticae erigi permittebantur quot commodo populi sufficerent et super easdem saepius quotidie iterari poterat Sacrificium patente omnibus accessu. Deficientibus tamen locis sacris Episcopi non poterant permittere usum arae viaticae propter solos privatos homines: quod est notatu dignum.

Haec confirmabantur ex privilegiis apostolicis et tunc poterant Episcopi permittere usum altaris portatilis in privata domo, cum illuc, deficientibus ecclesiis, conveniebant fideles: pariter itinerantibus ob defectum ecclesiae concedebatur usus arae viaticae si multi una simul peregrinabantur; et ita quoque in locis infidelium aut haereticorum, in quibus nulla publica oratoria permittebantur catholicis ex illorum perversitate. Sine dispensatione apostolica in domo privata propter commodum unius dumtaxat familiae Sacri-

ficium offerre non licebat, nisi gravissima causa forte aliter exegisset.

Pauca tantummodo numerantur privilegia a RR. Pontificibus concessa celebrandi in privatis domibus ob defectum ecclesiarum et limitabantur *ad solos casus necessitatis*. Hoc privilegium concessit Paulus V, die 13 m. nov. 1620, Adamo Visitiski, carmelitae, et Gregorius XIII, die 20 m. iunii 1580 Patribus Praedicatoribus Poloniae ob prohibitum catholicae religiosis externum actum a tyrannide principum [3].

4. In indulgendo privilegio celebrandi Missam *in navi*, cautiones nonnullas adiecit Benedictus XIV, quae ad nostra usque tempora invaluerunt, et hisce verbis sunt expressae: « mare debet esse tranquillum, caelum serenum, assistere debet Sacrificio altaris sacerdos vel diaconus »: quae quidem securitati consulebant Sacrificii offerendi. Ad quae est animadvertendum tunc temporis naves multo minores praebuisse securitates quam hodiernas naves, quae maria cursitant. Ceterum etiam in hodiernis indultis litandi Missam in mari reperiuntur cautiones Benedicti XIV quasi ex integro usurpatae, prout inspicere datum est in rescriptis S. Congregationis de Sacramentis.

5. Ceterum etiam post Conc. Tridentinum Episcopi eorumque Superiores fruebantur facultate utendi altari portatili, dum eadem facultate, qua pollebant, expoliati fuerant Regulares.

RR. Pontifices raro hoc indulgebant privilegium post Conc. Tridentinum, cuius iusti rigoris moderatrix exstabat S. Congregatio Concilii, cui officium inerat sedula discretione supplices libellos expendendi. Exempla afferuntur quidem huius privilegii concessi a RR. Pontificibus viris imperatoria aut regia dignitate fulgentibus, aut principibus civilibus; et etiam Missionariis et quibusdam itinerantibus et infirmis cum speciali formula. Exempla non desunt in libris positionum S. C. Concilii in quibus etiam personis in altiore dignitate civili constitutis denegatum fuit privilegium istud aut commutatum in indultum oratorii privati. Idque etiam quum in locis copia ecclesiarum non suppetebat, magnam ostendendo cautelam atque rigorem.

Summi Pontifices difficilius privilegium hoc concessere in propria domo extra oratorium ab Ordinario approbatum: hanc facultatem dumtaxat sunt consecuti magni principes et tunc tantum quum aut *infirmitate* aut *alia gravissima causa* egredi prohibebantur e proprio cubiculo aut se conferre ad conveniens oratorium [4].

---

[3] Cfr. Gattico, o. c., passim cap. V, VI, VII, IX et X n. 22 et 23.

[4] Exempla vide sis apud Gattico, o. c., cap. XIV, n. 4 et 5.

Ab hac severitate non censuerunt recedendum RR. Pontifices, qui Concilio Tridentino coevis Pontificibus successerunt, qui facultatem ad rem delegare non solebant, ulli Nuntio Apostolico, uno excepto Nuntio Poloniae ob peculiaria adiuncta illius regionis et pro determinato numero casuum.

Privilegium istud utique concedebatur Missionariis in terris infidelium et haereticorum, in quibus publica catholicae religionis exercitia impediebantur ab impietate et tyrannide nefaria principum: facultas dabatur Praefectis et Vicariis Apostolicis, qui a S. C. de Propaganda Fide dependebant, ut sub eorum vigilantia concederent Missionariis « *pro locorum, temporum et personarum circumstantiis* », ita ut minora pericula pertimescenda essent profanationis.

Si quibusdam sacerdotibus et laicis itinerantibus per provincias et regna christianorum Principum quandoque Pontifex hoc privilegium indulgebat, si ex una parte consulere intendebat istorum devotioni et singulari pietati qui gravem molestiam tolerare debebant, si vel ad ecclesias accedere deberent vel Sacrificio ob defectum ecclesiarum saepius carere cogerentur, ex altera parte attente respiciebat ad oratorum conditionem ac provinciarum per quas iter suscipiebatur, qualitates, ne sine discretione concessum privilegium et gravi fundamento careret ad illius elargitionem, et obnoxium redderetur periculo irreverentiae erga SS. Sacramentum. Si ob alias causas privilegium conferebat Pontifex, tum simul respiciebat dignitatem, officia, pietatem supplicantium personarum, quatenus dum oratoris multa erant merita etiam nullum prudenter suspicionis occasio ingenerabatur quod nullus esset apostolicae concessionis abusus [5].

5. Privilegii vicissitudines post Conc. Tridentinum facile dignoscuntur a disciplina servata exinde a memorata S. Congregatione eiusdem Concilii unica interprete, ad nostra propinquiora usque tempora; nempe usque ad restauratam Romanam Curiam per Const. « *Sapienti consilio* ».

Ita Benedictus XIV, qui fuerat a Secretis ipsius S. Congregationis, explicite animadvertit (Inst. Eccl., 34 § 3 n. 10): « ut omnis in posterum arceatur falsa species, singulis notum facimus aras portatiles quae permissae antea fuerant, Concilii Tridentini decreto *sess. 22, cap. unic., de evitandis...* sublatas penitus fuisse, quod sacra etiam Congregatio unica eius interpres non semel iudicavit... », et in Const. *Magno cum animi* § 29 tridentinam privilegii

[5] Gattico, l. c., n. 7.

suppressionem iterat etiam quoad regulares, legitima addita causa, dictitans: « nullum esse privilegium vel exemptionem quae obstet quaeque impediat quominus abusus tollantur... nullam rem maius praeiudicium privilegiis afferre quam abusum eorundem ».

Quemdam peculiarem excessum patratum multo post Tridentinum memorat ipse Benedictus XIV in Epistula 2 m. iunii 1751 ad Polonos Episcopos, qui, abutentes privilegio incolumi sibi relicto tum in Dioecesi tum extra, laicorum domicilia ingrediebantur ibique vel ipsi sacrum celebrabant vel coram se plures Missas litare faciebant absque necessitate, sed unice permoti desiderio ostentandi suum privilegium et satisfaciendi laicorum petitionibus. Adversus hos abusus fortiter restitit Sacra Congr. Concilii, uti constat ex resolutionibus relatis in lib. 48 *Decretorum*, fol. 4711 eiusdem S. C., donec contra eorum perseverantiam intervenit Clemens XI decreto diei 15 m. decembris 1703 privilegium adimens et solam conferens Episcopis facultatem erigendi oratorium privatum in eorum aedibus: quod decretum temperatum fuit decisionibus Innocentii XIII et Benedicti XIII, relatis in Romana Synodo a. 1725, cap. 15, n. 3, quarum vi usus altaris portatilis et erectio oratorii in privatis domibus prohibitae intelligebantur in casu carentiae legitimae et rationabilis causae.

Hinc factum est ut Episcopi, et potiori de causa Cardinales, hoc privilegio uti valerent occasione sacrae visitationis, in itineribus et in aliis similibus adiunctis (De Angelis, *Prael. can., lib. I, tit. 41*).

Ceterum tridentina abrogatio privilegii arae portatilis confirmata fuit a S. C. Concilii in una *Toletana*, 4 m. iunii 1672; nec exempla desunt revocationis huiusmodi indultorum apostolicorum quae, ante Tridentinum concessa, abrogata declarata fuerunt ab Apostolica Sede aut aequo cum iure composita [6].

Privilegii cessatio post Tridentinum comprobatur a sat celebri citata decisione S. C. Concilii Caesaraugustana et Matriten., cuius haec erat facti species.

Papa Clemens VII (1523-1534) concesserat quibusdam magnis familiis hispanis plurima privilegia, inter quae et privilegium altaris portatilis omnibus earundem familiarum membris et eorum descendentibus in perpetuum.

Anno 1905 Archiepiscopus Caesaraugustanus cum succrescere ultra modum vidisset in sua dioecesi familias, quae descendentes a

[6] Cfr. Decret. S. R. C., 31 aug. 1872 n. 3273; Breve Pii VII, 19 aprilis 1817 receptum in Coll. Auth. eiusdem S. C. sub n. 2586; et votum in eadem Collectione vol. 4, pag. 278 in re exaratum.

primaevis indultariis, tali privilegio auctas esse sese arbitrabantur, a S. Sede petivit quid sibi faciendum esset. Similis petitio pervenerat etiam ab Episcopo Matriten. eadem de causa.

Quaestio agitata est in praefata S. Congregatione et *per summaria* precum delata ad Plenariam Congregationem EE.rum Patrum 23 m. martii 1907. Prodita resolutio fuit:

« Privilegia altaris portatilis concessa ante Conc. Tridentinum et deinde non confirmata, esse sublata: et ad mentem ». Mens autem fuit quod supplicari debuisset Beatissimo Patri ut duobus Episcopis oratoribus daretur facultas concedendi ad vitam personis, quae affirmarent se frui privilegio altaris portatilis vi apostolicarum litterarum Tridentino praeviarum, novum indultum oratorii privati. Sanctissimus autem resolutionem hanc confirmavit et ratam habuit die 24 eiusdem mensis et anni.

Sacra vero C. de Sacramentis, per Const. *Sapienti consilio* (1908) potestate recepta hanc disciplinam moderandi, decisionem istam postea extendit ad quasdam alias Hispaniae Dioeceses, quae in iisdem reperiebantur adiunctis binae memoratae: et ita ad *Tarraconen.* a. 1909; ad *Victorien.* a. 1910; ad *Valentinam* a. 1911 et ad *Calagurritanam* a. 1915.

Ast etiam post suppressionem tridentinam, uti deducitur ex memorato decreto Clementis XI, privilegium aut ex novo concessum est aut post suppressionem restitutum cum maioribus aut minoribus limitationibus. Ita, v. g. PP. Societatis Iesu restituit Gregorius XIII per Breve 1 m. octobris 1579; et de aliis regularibus, qui primum obtinuerant aut denuo receperant, mentionem faciunt E.mus Card. P. Gasparri (*De SS.ma Eucharistia*, n. 262) et Many (*De Missa*, n. 9).

Clemens IX illud indulsit per S. C. de Propaganda Fide die 13 m. augusti 1669 missionariis qui comitabantur Vicarios Apostolicos in Cinam a S. Sede missos, durante itinere et in reditu ab eorum missionibus, et in locis infidelium et ubi ecclesiae patefactae non reperiebantur (cf. Collectanea, I, p. 60, n. 184).

S. R. Congregatio die 11 m. iulii 1699 *ex Audientia SS.mi* idem indulsit sacerdotibus Congr. Missionis Provinciae Lituanae in exercitio missionum attenta ecclesiarum raritate in dicta provincia et quam longe unius ab altera dissitae (*Coll. auth. decr.*, decr. 2032).

Tempore recentiori eadem S. Congregatio pariter *ex Audientia SS.mi*, die 26 m. iulii 1905 concessit hanc facultatem « *de specialissima gratia nunquam in exemplum afferenda* » pro domibus hospitalibus aliisque piis locis, vulgo « *lazzaretti* » nuncupatis et valetudinariis mente captorum gubernatis a Ministris Infirmorum.

Disciplinae varietas pro temporum decursu a S. Sede adhibita

clare ostendit ex una parte congruentium causarum exsistentiam, quae necessariam aut valde opportunam postulat privilegii huius concessionem; ex altera necessitatem attente vigilandi quovis tempore ne privilegium ipsum abusibus et incommodis occasionem praebeat, quae seduliter sunt praecavenda inspecta huius instituti peculiari gravitate. (cfr. Instr. II, n. 1).

§ 2. *Altaris portatilis disciplina a S. C. de Sacramentis adhibita.*

1. Per Const. « ***Sapienti consilio*** », 29 m. iunii 1908 S. Pii X [7] disciplinae altaris portatilis moderamen a S. C. Concilii subductum commissum est Sacrae C. de Sacramentis, tunc primum fundatae, quod dein confirmatum est in can. 249 C. I. C.

Organa proinde per quae iure Codicis huiusmodi indultum concedit hodie Apostolica Sedes sunt: a) pro sacerdotibus et laicis Ecclesiae Latinae Sacra Congregatio de Sacramentis; b) pro missionariis et fidelibus locorum Missionum Sacra C. de Propaganda Fide; c) pro sodalibus religiosis in eorum favorem Sacra C. de Religiosis; d) pro subditis ritus orientalis Sacra C. pro Ecclesia Orientali.

2. Si prae oculis habeatur quod privilegium istud secumfert facultatem celebrandi *ubique* et proinde etiam *sub dio* et *sub terra*, uti supra diximus, etsi loco honesto ac decenti, fatendum est per ipsum maximam et, ut ita dicam, audacissimam derogationem irrogari generali principio, iuxta quod « *Missa celebranda est super altare consecratum et in ecclesia vel oratorio consecrato aut benedicto ad normam iuris* » (can. 822 § 1).

Spectata igitur huius privilegii amplitudine reapse valde notabili, sedula cura cavendum est ne lata sternatur via abusibus et incommodis quae exinde obrepere solent quaeque in praeteritum ex allatis abunde obrepsisse conspeximus.

Inconvenientia huiusmodi ex duplici fonte dimanare queunt: scil. 1) *ex parte loci*, qui S. Sacrificio celebrando deputatur; 2) *ex parte privilegiati*, si immodice tanto indulto abutatur, praeter nempe casum necessitatis vel comprobatae utilitatis.

Ex priori capite periculum profanationis non semel subest eo quod divinis Mysteriis celebrandis locus adsignatur haud undequaque congruus et honestus: quod accidere potest potiori de ratione quia locus in quo Sacrum litatur super ara viatica Ordinarii visitationi et adprobationi non est obnoxius.

Ex posteriori capite privilegiatus quandoque imprudenter in-

---

[7] *Ordo servandus in SS. Congregationibus* etc. *Romanae Curiae, 29 sept. 1908, Pars altera, Normae peculiares, cap. VII, art. III ad 10°, c. h.*

duci potest ad privilegii ostentationem faciendam aut saepius transferendam aram portatilem de loco in locum sine prudenti discretione et necessitate, quod iam ex sese irreventiam saperet.

Maximum igitur est exigendum vadimonium idoneaeque cautiones afferendae ex parte Ordinariorum priusquam privilegium implorent: quod nempe persona indultarii rite ac religiose ista facultate utatur; id plerumque evenire quit quum presbyteris, praecipue in aliqua dignitate constitutis, confertur indultum; minus tute si laicis forte impertiatur: quolibet vero casu indultarius certo spondere debet se indulto recte usurum conditionesque eidem adnexas plene impleturum.

Hinc liquido apparet quanta opus sit vigilantia et discretione in tali facultate indulgenda; quomodo causae motivae adductae pro indulto impetrando personaeque ipsae indultariae attente sint perpendendae; quot cautionibus congruentibus sit communienda facultas ne profanationes et irreverentiae in augustissimum altaris Sacrificium temere irrogentur.

3. Equidem Sacra C. de Sacramentis serpere animadvertit et decursu temporis succrescere quamdam proclivitatem educendi e sua naturali sede, quae est ecclesia, augustissimas caeremonias divini cultus, haud excepto ipso sacrosancto Missae Sacrificio, evidentur neglectis Codicis I. C. praescriptionibus naviter constitutis, absque legitima et rationabili causa.

Horum abusuum diffusioni fortiter obsistere nisa est eadem S. Congregatio, quae, v. g. quaestionem de Missae celebratione licita necne in sic nuncupatis « *camere ardenti* praesente cadavere » diremit per Apostolicum documentum, quod prostat in *A.A.S.*, *vol. XVIII*, *pag. 338-9*, quodque ob peculiare materiae momentum pro verbo exprimere iuvabit.

In una Romana et *Aliarum*, *celebrationis Missae domi praesente cadavere*, praefata S. Congregatio sibi propositam quaestionem resolvit:

« In Plenariis comitiis E.morum Patrum H. S. C. habitis die 18 decembris 1925 et die 30 aprilis 1926, postulantibus nonnullis locorum Ordinariis, nempe Valentin., Compostellan., Pampilonen. aliisque, propositum fuit dubium: « Utrum Ordinarius, vi canonis 822 § 4, permittere possit, absque indulto Apostolico, celebrationem unius vel plurium Missarum domi, praesente cadavere, quando haec celebratio postulatur a parentibus defuncti ».

Re mature perpensa et dubio reformato, quaestiones et responsiones ab E.mis Patribus propositae editaeve fuerunt uti sequitur:

I. Utrum Ordinarius vi canonis 822 § 4 permittere possit Mis-

sae celebrationem domi praesente cadavere in loco vulgo *camera ardente* ».

R. « Negative, nisi agatur de casu aliquo extraordinario, exstante iusta et rationabili causa: et hoc etiam in casu, dummodo cadaveris expositio fiat servato debito decore, ac in eodem loco nihil adsit quod sit alienum a sanctitate divini Sacrificii ».

II. « Quando censendus sit haberi casus extraordinarius, vi cuius, concurrente iusta et rationabili causa, permitti possit ab Ordinario Missae celebratio, et utrum unius tantum aut plurium Missarum celebratio permitti possit? ».

R. « Casum extraordinarium haberi, unaque simul iustam et rationabilem causam, occasione obitus Episcopi residentialis, seu loci Ordinarii, aut personae e principe familia, aut aliter insignis ob merita et benefacta in Ecclesiam vel in Rempublicam, vel ob munificentissimas elargitiones in pauperes et egenos; itemque personae huiusmodi privilegio Apostolico iam ornatae; dummodo semper debitae exsequiae expleantur in ecclesia.

« Tunc Ordinarius permittere poterit unius aut alterius Missae, sed non plus quam trium Missarum celebrationem: abrogato indulto Sacrae Rituum Congregationis diei 29 aprilis 1894 et contrariis quibuscumque minime obstantibus; *facto verbo cum SS.mo* ».

In Audientia diei 3 maii 1926 Ssmus Dnus Noster Pius Papa XI, audita relatione facta ab infrascripto Secretario huius Sacrae Congregationis decisionem E.morum Patrum in omnibus ratam habuit et confirmavit.

M. Card. Lega, *Praefectus*
† Aloisius Capotosti, *Ep. Thermen., Secretarius.*

4. Alter abusus, qui inolescere coeperat, respiciebat celebrationem Missae in publicis plateis aut in locis patentibus sub dio occasione civilium caeremoniarum absque iusta et rationabili causa, aliena nempe a germanis divini cultus bonique spiritualis fidelium rationibus. Et hunc abusum amputare studuit negotiumque istud moderata est eadem S. Congregatio datis *litteris ad Ordinarios Italiae*, quae prostant in *A.A.S.*, *vol. XVI*, *pag. 370-371*, *circa facultatem celebrandi Missam sub dio ad normam canonis 822 Codicis I. C.*, diei 26 m. Iulii 1924.

Pretium operae est et documentum istud ex integro referre ut inspiciantur rationes canonicae, quae proditae resolutioni locum dederunt. Etsi dumtaxat Italiae Ordinariis hae litterae missae fuerint disciplina per easdem tradita valere dicenda est et pro ceteris Ordinariis, in iisdem adiunctis.

« Molti Ordinari d'Italia si trovano in gravi difficoltà circa la risoluzione da prendere quando loro si presentano domande dirette a permettere la celebrazione dei santi misteri fuori delle chiese, cioè dei luoghi destinati all'esercizio del culto.

La Santa Sede, interpellata in proposito, dopo accurato studio e matura deliberazione richiama loro le seguenti considerazioni.

E' notissima la tradizionale disciplina che abbiamo ricevuto dai Santi Padri, essere cioé la chiesa il luogo destinato alla celebrazione della Santa Messa. E anzi vi fu un tempo in cui non si permetteva la celebrazione se non nelle chiese e negli oratori consacrati. Con l'andar del tempo, per varie ragioni, che non é qui il caso di ricordare minutamente, la disciplina ecclesiastica in questa materia si rese un pò più benigna. Ma a chi la studia nella sua evoluzione, apparisce chiaramente che, se alcune volte fu concessa la celebrazione del divin Sacrificio fuori delle chiese, ciò fu sempre ristretto ai casi di necessità o per motivi esclusivamente religiosi.

Questa tradizionale disciplina, confermata da tanti Pontefici e da tanti Concilii, antichissima e universale, ebbe ultimamente una nuova sanzione nel *Codice di diritto canonico*, dove, al can. 822 § 1, si stabilisce che « Missa celebranda est super altare consecratum et in ecclesia vel oratorio » ecc., e poi al § 4: « Loci Ordinarius ... licentiam celebrandi extra ecclesiam et oratorium... concedere potest iusta tantum ac rationabili causa, in aliquo extraordinario casu et per modum actus ». Di qui é facile inferire che le facoltà degli Ordinari al riguardo sono assai limitate, non potendosi esercitare se non in qualche caso straordinario, né senza giusta e ragionevole causa, la quale deve essere unicamente ispirata alle altissime ragioni del culto divino e al bene spirituale dei fedeli. Giova poi inculcare e praticare con la debita severità queste norme disciplinari per elevare e purificare il sentimento religioso del popolo.

E' quindi fuor di dubbio che non si avrebbe la causa giusta e ragionevole, voluta dal can. 822, se la celebrazione della Messa fuori della chiesa fosse richiesta in occasione di commemorazioni profane o per dare risalto a feste di carattere politico: in tali circostanze la celebrazione della Chiesa resta vietata in modo assoluto dal citato can. 822. Molto più poi questo vale se si trattasse di celebrazioni, nelle quali, per la loro stessa natura, si insinui alcunché di superstizioso o di pericoloso al retto sentimento religioso o alla purezza della fede nel popolo cristiano. Né solo, in questi casi, non si darebbe la giusta causa del Codice, ma assai facilmente si

potrebbe dare occasione a deviazioni nella sana disciplina del culto cattolico. In questi casi l'Ordinario del luogo avvisi gli interessati che non é nelle sue facoltà di aderire alla domanda, ma, se i richiedenti insistessero invocando speciali ragioni di luogo, di tempo o di persone, egli avrà cura di trasmettere la petizione a questa S. Congregazione dei Sacramenti, alla quale spetta la decisione in proposito.

Tanto si partecipa alla S. V. per sua intelligenza e norma ».

5. Quod vero propius attinet ad indultum altaris portatilis abs se non erit animadvertere quod iam ipsa facilis et quandoque etiam quotidiana translatio arae viaticae de loco in locum, sat evidens index est carentiae debiti obsequii erga augustissimas divini cultus caeremonias, quasi ipse Dominus debeat emendicare locum sui Sacrificii, eo vel amplius quod, ob hanc facillimam loci commutationem in quo collocatur altare, accidere potest ut non semel ineptus prorsus vel minus honestus deligetur locus pro tanto Sacrificio litando, contra notam sententiam: « sancta sancte tractanda sunt ».

CAESAR ZERBA

ACTA OFFICIORUM

I°

PONTIFICIA COMMISSIO DE RE BIBLICA
INSTRUCTIO

AD EXCELLENTISSIMOS LOCORUM ORDINARIOS DE CONSOCIATIONIBUS BIBLICIS ET DE CONVENTIBUS AC COETIBUS EIUSDEM GENERIS.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Pp. XII fel. reg. in Litteris Encyclicis *Divino afflante Spiritu* d. d. 30 Septembris 1943, inter complura alia quae ad studia biblica rite promovenda conferunt, id quoque paterne hortatus est, ut sacri Antistites Scripturae Sacrae venerationem in christifidelibus sibi commissis satius in dies augere et perficere studeant eiusque cognitionem et amorem efficaciter fovere et excitare nitantur. Pias igitur illas consociationes quae ad Sacrorum Librorum exemplaria diffundenda conditae sunt, intende adiuvent, Sacrae Scripturae, Evangeliorum potissimum, cotidianam lectionem et meditationem alloquio et usu commendent, publicas de rebus biblicis dissertationes seu acroases aut ipsi habeant aut ab aliis apprime peritis sacris oratoribus habendas curent, denique commentarios ad quaestiones biblicas ex scientiae ratione tractandas et exponendas editos pro viribus sustentent et inter varios gregis sui coetus et ordines apposite divulgent [1].

Magno cum gaudio haec Pontificia de Re Biblica Commissio, cui munus studia biblica dirigendi et fovendi peculiari modo concreditum est, variis e nuntiis et fontibus cognitum habet, quanta cum alacritate Excellentissimi Praesules his Summi Pontificis hortationibus obtemperaverint quantumque fructum fidelis populus in haud paucis regionibus ex hoc Sacrorum Librorum renovato studio perceperit. Multis in locis Ordinarii in hac sua rei biblicae cura sollerter iuvantur Consociationibus illis Biblicis quae, ultimis temporibus ortae, tam editis in publicum libris et commentationibus quam publicis conventibus et acroasibus Sacrorum Librorum cognitionem et amorem promovere nituntur. Magno etiam cum fructu « dies biblici », potissimum pro christifidelibus omnibus, celebrantur vel

[1] Cfr. *Acta Apost. Sedis*, 35 (1943) 321.

conventus per complures dies protracti (« hebdomades biblicae ») instituuntur, in quibus argumenta ad Sacram Scripturam spectantia amplius et profundius in determinatorum coetuum utilitatem pertractantur.

Nullum est dubium quin his rebus omnibus, dummodo rite peragantur, Sacrae Scripturae cognitio et amor efficaciter promoveatur et in dies uberius crescat. Attamen, ut hic finis rite obtineatur, omnia magna cum cura et prudentia paranda et dirigenda sunt. Ac primum quidem argumenta in conventibus tractanda apte eligantur oportet, idque maxime ex iis quae ad doctrinam theologicam Sacrorum Librorum profundius cognoscendam et ad cultum ac venerationem Sacrarum Litterarum inter christifideles magis magisque fovendam apte valeant, iis tamen non omissis quaestionibus historicis, criticis, litterariis, quae in singulis regionibus maioris momenti sunt aut acrius disputantur. Dein oratores qui in huiusmodi conventibus verba faciunt, rerum de quibus agunt, omni ex parte periti sint oportet, normis a Sancta Sede datis sincere oboedientes, in rebus proponendis prudentes et sobrii, condicionis tam scientificae quam spiritualis audientium omnino conscii. Quantus fructus ex his conventibus hauriatur, si haec omnia diligenter observata fuerint, ex multis relationibus quae ad hanc Pontificiam Commissionem pervenerunt, luculenter apparet.

Dolendum tamen est rei nondum in omnibus regionibus normis modo expositis plane satisfieri atque interdum adesse periculum, ne conventus illi a Consociationibus Biblicis vel ab aliis instituti, non omnibus qui intervenerint, satis proficiant, immo quibusdam magis in « destructionem » quam in « aedificationem » cedant (cfr. *2 Cor.*, 10, 8). Oratores enim, dicunt, non semper eos esse qui rerum de quibus agunt, omnino periti sint; quosdam nimis facile sequi auctores minus commendatos vel inconsiderate ac temere admittere et divulgare opiniones dubias aut falsas; commendare libros vel periodica dubii valoris aut ab auctoritate ecclesiastica non approbata vel etiam reprobata: et haec omnia interdum coram auditoribus qui ad similes quaestiones examinandas et iudicandas nullatenus parati et instructi sint. Accidisse etiam ferunt, ut qui loqueretur, parum attenderit ad normas illas quas Summus Pontifex fel. reg. in Litteris Encyclicis *Humani generis* denuo graviter inculcavit, atque audacter proposuerit sententias a Magisterio Ecclesiae reprobatas, vel etiam sensui litterali, vigilante Ecclesia probe elaborato, novum quendam sensum substituerit quem symbolicum et spiritualem appellant et

quo difficultates sensui litterali inhaerentes evanescere temere dictitant [2]. Quae omnia, si coram auditoribus proponantur rei biblicae non omnino peritis, summopere periculosa esse, nemo est quin videat.

Hisce rebus omnibus perpensis, haec Pontificia Commissio de Re Biblica, pro munere ipsi commisso, opportunum censuit in memoriam revocare has Consociationes Biblicas omnesque de re biblica coetus atque conventus, sicut etiam libros et articulos in commentariis et in diariis de eadem re biblica edendos, utpote res religiosas et ad religiosam christifidelium institutionem spectantes, Ordinariorum auctoritati et iurisdictioni subesse. Quod ut in posterum efficacius servari possit, haec statuere et praescribere placuit:

1. Omnes Consociationes Biblicae earumque opera et incepta auctoritati et iurisdictioni competentis Ordinarii subsunt. Competens autem Ordinarius, si agitur de Consociationibus vel conventibus quibuslibet dioecesanis, est Ordinarius loci; si agitur de interdioecesanis, ille est Ordinarius in cuius dioecesi Moderator Consociationis sedem habuerit vel conventus aut coetus habendus erit.

2. Novae Consociationes Biblicae vel quicumque eiusmodi coetus institui nequeunt sine approbatione competentis Ordinarii, cuius etiam est earum Statuta examinare et approbare.

3. Moderator Consociationis vel Praeses cuiuslibet coetus singulis annis de eius statu, membris, actis ad competentem Ordinarium referat.

4. Conventus omnes qui pro auditoribus studia Sacrae Scripturae non ex professo colentibus ad argumenta scripturistica tractanda instituuntur, sive « hebdomadae biblicae » sive « dies biblici » qui dicuntur, sine consensu et approbatione competentis Ordinarii haberi nequeunt. Eidem Ordinario tempestive referendum est quae argumenta tractanda videantur et qui oratores ea sint tractaturi. Conventu autem habito is qui ei praefuit, ad eundem Ordinarium breviter referat de rebus tractatis, de disputationibus habitis, de conclusionibus collectis. Eandem relationem mittat etiam ad Rev.mum Secretarium Pontificiae Commissionis de Re biblica, addito programmate conventus et elencho oratorum.

5. Normis sub n. 4 praescriptis non comprehenduntur illi congressus et conventus qui pro professoribus Sacrae Scripturae aliisque rei biblicae specialiter peritis ad quaestiones scientifice exa-

---

[2] Cfr. *Acta Apost. Sedis*, 42 (1950) 569 s.

minandas et disputandas instituuntur. Sed etiam in his conventibus cura habeatur, ut omnia secundum sana et probata principia doctrinae catholicae et normas a Sancta Sede datas peragantur. Extraneis autem qui de coetu professorum aut specialiter peritorum non sint aditus ad huiusmodi congressus ne pateat.

6. Quibus munus est conventus, de quibus sub n. 4, praeparandi vel dirigendi, sedulo curent, ut res tractentur quae non adeo curiositati vel rerum novarum studio satisfaciant, sed ad solidam auditorum institutionem in fide et in vita morali et ascetica promovendam et ad Sacrorum Librorum amorem sincerum excitandum et augendum vere conferre posse videantur. Eos autem Oratores eligant qui ad hos fines obtinendos magis apti et condicionis scientificae et spiritualis eorum quibus sermones destinantur, periti et conscii sint. Curent etiam, ut in rebus ipsis tractandis non adeo difficultates et res dubiae proferantur, sed methodo positiva illa exponantur quae clara et explorata sunt. Quodsi coram quibusdam coetibus auditorum etiam difficultates et obiectiones tractandae videantur, quaestione aeque et honeste proposita, solida tradatur responsio, rationibus scientificis rite suffulta.

Excellentissimi Ordinarii, pro suo in gregem Christi amore, huic gravi negotio diligenter operam impendant, et si ipsi per se id agere non potuerint, ex propriae dioeceseos sacerdotibus aliquem ex officio constituant, qui rei biblicae probe peritus, solida doctrina theologica ornatus, debita prudentia instructus harum Consociationum et coetuum curam suscipiat ac determinatis temporibus, prout idem Ordinarius statuerit, ad ipsum referat. Idem etiam ea quae de re biblica in libris vel commentationibus sive editis sive edendis tractantur, diligenter examinet, et si quid notandum censuerit, ad eundem Ordinarium referat.

Quae omnia si sedulo et accurate fient, sperare licet fore ut hae utilissimae Consociationes Biblicae et coetus atque conventus uberem fructum ferant ad Verbi Dei cognitionem et amorem in dies magis fovendum, ad studia biblica efficacius promovenda, ad animarum salutem fecundius curandam.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Pp. XII hanc Instructionem benigne approbare dignatus est eamque publici iuris fieri mandavit.

Romae, die 15 Decembris a. 1955.

Athanasius Miller, O. S. B., *Consultor ab Actis.*

(*A.A.S.*, vol. 48, pag. 61-64).

ADNOTATIONES

Instructio spectat consociationes biblicas vel dioecesanas vel interdioecesanas quae ad uberius fovendum inter varios christifidelium coetus Sacrorum Librorum, Evangeliorum potissimum, cultum, utcunque dant operam. Agitur ergo de peculiaribus locorum consociationibus quae, publicis dissertationibus seu acroasibus aliisque inceptis, rei biblicae cognitionem, lectionem, cotidianam meditationem promovere nituntur. Aperta fit mentio de conventibus dioecesanis vel interdioecesanis ad dies vel ad hebdomadam, cura earundem consociationum, instructis.

Non agitur ergo de illis biblicis consociationibus pro singulis nationibus, quae plus minusve ubicumque coniunctim cum Institutis de re biblica ac inter singulariter peritos viros exstans, ut v. g., in America, consociatio quae *The Catholic Biblical Association of America* nuncupatur, apud catholicam Vasingtoniensem Universitatem exstans, cuius publicum commentarium *The Catholic Biblical Quarterly* inscribitur; vel, in Hispania, consociatio quae *A.F.E.B.E.* litteris compendiariis scribitur, cuius cura duo eduntur commentaria quibus index *Estudios Biblicos* et *Cultura Biblica;* alia denique consociatio in Italia exstans, quae litteris *A.B.I.* designatur, cuius opera, alternis annis, Romae, apud aedes Pontificii Instituti Biblici a quo originem ducit, « hebdomadam biblicam » celebrat et pluribus inceptis in regionibus et dioecesibus, de Ordinariorum consensu, Sacrorum Librorum cultum provehere satagit; cuius publica commentaria *Rivista Biblica* et *Parole di vita* inscribuntur.

Pontificia Commissio de re biblica consociationes dioecesanas vel interdioecesanas earundemque activitates approbat ac etiam laudibus celebrat, attamen aliqua reprehendenda sollicite annotat, quae ut vitentur et optimus ex iisdem activitatibus hauriatur finis, peculiares ac peropportunas normas impertit:

« *... omnia magna cum cura et prudentia paranda et dirigenda sunt* ».

Proinde: a) *De argumentorum in conventibus tractandorum electione:* primum locum obtineant exegesis et theologica Sacrorum Librorum doctrina; singularum igitur quaestionum positiva explanatio et expositio habeatur; conclusiones certae exhibeantur ac illae magis veritates illustrentur quae Deum, Redemptionis opus christianamque vitam spectant.

Sane fatendum est, ultimis hisce temporibus, plerumque evenire ut fusius exponantur quaestiones litterariae et quae maioris momenti sunt parum curentur. Historicae et litterariae quidem de

re biblica quaestiones minime sunt omittendae, sed ordinate ad finem harum consociationum et ad coetus audientium.

b) *De oratorum selectione:* « *... omni ex parte docti sint oportet ...* ». Debent igitur esse: 1. idonei; 2. normis a Sancta Sede datis sincere oboedientes; prudentes, sobrii; 3. omnino conscii condicionis tam scientificae quam spiritualis audientium.

Errores.

« *Dolendum tamen est nondum in omnibus regionibus normis modo expositis plane satisfieri atque interdum adesse periculum, ne conventus illi a Consociationibus Biblicis vel ab aliis instituti, non omnibus qui intervenerint, satis proficiant, immo quibusdam magis in* « *destructionem* » *quam in* « *aedificationem* » *cedat* (cfr. *2 Cor.* 10, 8) ».

Hoc accidit quia oratores:

1. non semper rerum de quibus agunt omnino periti sunt;

2. nimis facile sequuntur auctores minus commendatos vel inconsiderate ac temere opiniones dubias aut falsas admittunt et divulgant;

3. libros vel periodica commendant dubii valoris aut ab auctoritate ecclesiastica non approbata vel etiam reprobata;

4. et haec omnia interdum faciunt coram auditoribus nullatenus ad similes quaestiones examinandas et iudicandas parati et instructi.

Instructio haec in exemplum subicit: « *Accidisse etiam ferunt, ut qui loqueretur, parum attenderit ad normas illas quas Summus Pontifex fel. reg. in Litteris Encyclicis* « *Humani Generis* » *denuo graviter inculcavit, atque audacter proposuerit sententias a Magisterio Ecclesiae reprobatas, vel etiam sensui litterali, vigilante Ecclesia probe elaborato, novum quendam sensum substituerit quem symbolicum et spiritualem appellant et quo difficultates sensui litterali inhaerentes evanescere temere dictitant* ».

Quomodo huiusmodi errores vitentur.

Ad haec omnia vitanda Instructio haec normas impertit:

1. « Omnes Consociationes Biblicae earumque opera et incepta auctoritati et iurisdictioni competentis Ordinarii subsunt ». Dein singillatim declarat: « Competens autem Ordinarius, si agitur de Consociationibus vel conventibus quibuslibet dioecesanis, est Ordinarius loci; si agatur de interdioecesanis, ille est Ordinarius in

cuius dioecesi Moderator Consociationis sedem habuerit vel conventus aut coetus habendus erit ».

2. Novae Consociationes Biblicae vel quicunque eiusmodi coetus institui nequeunt sine approbatione competentis Ordinarii, cuius etiam est earum Statuta examinare et approbare.

3. Moderator Consociationis vel Praeses cuiuslibet coetus singulis annis de eius statu, membris, actis ad competentem Ordinarium referat.

4. Conventa omnes qui pro auditoribus studia Sacrae Scripturae non ex professo colentibus ad argumenta scripturistica tractanda instituuntur, sive « hebdomadae biblicae » sive « dies biblici » qui dicuntur, sine consensu et approbatione competentis Ordinarii haberi nequeunt. Eidem Ordinario tempestive referenda sunt argumenta tractanda et oratores designatos. Conventu autem habito, praeses ad eundem Ordinarium breviter referat de rebus tractatis, de disputationibus habitis, de conclusionibus collectis. Eandem relationem mittat etiam ad Rev.mum Secretarium Pontificiae Commissionis de Re biblica, addito programmate conventus et elencho oratorum.

6. Denique Instructio aliqua argumenta magis pertractanda et quibus Oratoribus committenda sint proponit.

F. Spadafora

JURISPRUDENTIA
SACRÆ ROMANÆ ROTÆ

SACRA ROMANA ROTA

I°

Coram R. P. D. Pericle Felici, *Ponente*

Nullitatis Matrimonii

(ob conditionem appositam - ob vim et metum)

Decisio diei 17 ianuarii 1956

(*Omissis*).

In Iure. 3 - Negotium quod ita geritur ut, nonnisi peculiari circumstantia verificata, valorem suum sortiatur, conditionatum dicitur; circumstantia autem illa, conditio: quae prouti futurum tempus respicit, praesens vel praeteritum, nomen et efficaciam habet conditionis de futuro, de praesenti et de praeterito.

Conditio, quae vere proprieque dicitur, est conditio de futuro et quidem de futuro contingenti: ea enim sola, quae in praesens nullatenus cognosci potest, suspendere vel ligare valet voluntatem: at, spectato animo negotiantis, quem ipsa res praeterita vel praesens latere potest, nonnisi in futurum forte revelanda, sermo est etiam, in provincia iuris, de conditione de praeterito et de praesenti. Hac tamen apposita, negotium statim valet vel non valet, prout conditio obiective existit necne momento quo negotium geritur.

Conditio, quae consensum negotiantis suspendit, suspensiva dicitur: quae vero consensum datum nata est resolvere, nempe ad nihilum reducere, vocatur resolutiva.

4 - Tametsi valde optandum est ut matrimonia absolute, sine ulla conditione, contrahantur, cum tamen inter negotia iuridica bilateralia ea computentur, sui quidem generis, sub conditione contrahi possunt iuxta modum qui peculiari ipsorum naturae competit. Quocirca non sustinetur conditio resolutiva, quae repugnat matrimonii indissolubilitati: pro non adiecta autem habetur conditio de futuro necessario, de re impossibili vel turpi, nisi peculiaribus in casibus veritas praesumptionem vincat.

5 - Probatio conditionis inter difficiles habetur, tum quia conditio facile confunditur cum aliis similibus, at re longe distantibus, animi intentionibus, tum quia, etiamsi partes et testes in vadimonio utantur verbo conditionis, idque faciant bona fide, et non, verbi gratia, per periti cuiusdam suggestionem, non semper de vera conditione agitur.

Distinguenda porro est conditio a modo, ab errore qualitatis, a causa contrahendi, denique a qualitate praerequisita.

Modus, quo matrimonium contrahitur, supervenit contractui iam in suo esse constituto, ita ut eius essentiam non tangat: ut si quis verum matrimonium ineat hac intentione ut tantum duos filios procreet, non plures.

Error circa qualitatem personae, cum ad intellectum tantum pertineat, contractum non vitiat, etsi det causam contractui. Duae dantur a iure exceptiones, cum nempe error necessario in voluntatem influit: « 1. Si error qualitatis redundet in errorem personae; 2. Si persona libera matrimonium contrahat cum persona quam liberam putat, cum contra sit serva, servitute proprie dicta » (can. 1083 § 2).

Propior est conditioni et cum ea saepe confuditur causa contrahendi et qualitas praerequisita in comparte: ut si quis ducat Seiam, quae illibata censetur (qualitas praerequisita), vel quia illibata censetur (causa): aut etiam si Titius contrahat cum Caia, quae sui opera gravida retinetur, vel quia auctorem se habet praegnationis.

Porro inter conditionem, praerequisitum et causam id interest quod in conditione qualitas vel circumstantia ingrediatur ipsum consensum matrimonialem, adeo ut voluntas praevalens contrahentis non sit matrimonium, qua tale, sed potius matrimonium cum persona *illa qualitate praedita* contrahendum: praerequisitum vero innuat tantum aliquam animi intentionem, singularem quidem at praeviam contractui, quem agitur per se non ingreditur: causa denique contrahendi afficiat quidem voluntatem, eamque moveat, sed obiecti voluntatis, scilicet contractus, naturam non mutet, licet sine illa causa numquam voluntas obiectum illud appetitura fuisset.

6 - Facile contingit ut coniux qui multum faciebat qualitatem compartis et forte propter hanc qualitatem eam duxit, post compertum errorem et fraudem, cogitet et dicat se numquam matrimonium fuisse initurum, si res novisset, prouti essent: tali autem persuasione ductus ad conditionem tunc cogitet eamque iudicibus offerat. Iudex tamen perpendere debet, citra corticem verborum, quid revera volutaverit animus contrahentis ante nuptias et in hunc finem praesumptiones aliquas habebit prae oculis, quas doctrina et iurisprudentia N. S. O. prudentissime congessit.

In primis est considerandum dubium, quo motus coniux conditionem apposuerit: non quod sine dubio conditio haberi nequeat, sed quia, re psychologice spectata, nemo ad conditionem apponendam ducitur nisi dubio aliquo angatur vel obiectivo vel saltem subiectivo, licet pathologico (quo saepe laborant v. c. ingenia introspectiva psychasthenicorum). Quo autem maior est amor inter

nupturientes, eo gravius dubium exigitur: nam leve dubium per amoris ardorem facile diluitur.

Non est tamen necessarium ut dubium usque ad momentum celebrationis perseveret: conditio enim perseverare potest et vim suam exserere, licet dubium per asseverationem compartis vel ope aliorum argumentorum sublatum videatur.

Considerandum praeterea venit quanti contrahens fecerit bonum illud cui consensum subiecisset: si maximi, si pluris quam amorem in compartem, adeo scilicet, ut sine illo bono numquam prorsus fuisset matrimonium celebraturus, magna pro conditione exurgit praesumptio: quae in certitudinem vertitur, si idem contrahens, continuo post cognitam conditionis non purificationem, compartem vel reliquerit, vel legitimum coniugem non amplius habuerit, vel, cum haec potis tunc non essent, aliis modis suam profundam aversionem ac quasi animi vulnus ostenderit.

Conditioni per se non nocet quod detecta non purificatione eiusdem ad nullitatem matrimonii vel etiam ad causam instaurandam cogitatum statim non sit: id pendere sane potest ex iuris imperitia, et nemo dicat ignorantiam valoris iuridici conditionis, eundem valorem, qui obiective consistit, destruere vel imminuere posse.

In comperto denique est conditionem tunc tantum vim suam exserere cum purificata seu verificata non est: quod est ex actis cum certitudine probandum.

Inter innumeras decisiones, quae hanc materiam spectant et luculenter enucleant cfr. Comm. Card. in *Versalien.* d. 2 aug. 1918: S. R. R. in *Carnuten.* d. 10 martii 1934 et *Parisien.*, d. 7 augusti 1934 c. *Heard:* dec. d. 10 oct. 1945 c. *Jullien:* dec. d. 30 oct. 1945 c. *Staffa:* dec. d. 9 febr. 1949 c. *Pasquazi·* dec. d. 19 mai 1949 c. *Wynen: Romana*, d. 19 oct. 1953 c. *Brennan; Romana*, d. 1 dec. 1953 c. *Felici* etc.

7 - Accusatur deinde matrimonium istud ob vim et metum gravem ab extrinseco et iniuste incussum, ad normam can. 1087. Cuius canonis doctrina et iurisprudentia cum sit ex pluribus rotalibus decisionibus compertissima (cfr. inter plurimas *Matriten.*, d. 23 iulii 1945 c. *Brennan*): de metus iniustitia fusius dicere Patribus visum est.

Metus dicitur iniustus quoties per eum violatur legitima norma obiectiva, sive iuris naturalis, sive iuris positivi, cum divini tum humani, cum ecclesiastici, tum civilis, intra suae competentiae ambitum.

Metus autem est iniustus ratione personae, si ab eo incutitur qui nullum ius metus inferendi habet, ut pater qui ad matrimonium filiam reluctantem cogat: ratione mediorum, nempe mali commi-

nati, si nulla prorsus lege id conceditur: denique ratione finis, si in comminando malo, quod lex permittit, alius finis intendatur quam lex permittit: ut si ad extorquendum consensum matrimonialem comminatio fiat denuntiationis pro calumnia v. c. vel homicidio (cfr. dec. d. 21 dec. 1951 c. *Staffa*, ubi dilucida referuntur verba Bonacinae, *De matrim.*, q. III, punct. VIII, n. 10, et citatur Pontius, *De matrim.*, l. IV, c. 19, n. 12).

8 - Quae cum ita sint, licet iure possit pater puellae minoris seductae et defloratae comminari seductori denuntiationem, nisi seductam ducat in matrimonium (per matrimonium enim, iuxta leges civiles, quaelibet actio poenalis extinguitur et potest iudex in poenam facinoris matrimonium imponere: cfr. dec. d. 7 mai 1940 c. *Canestri*, in qua principium iuris longe dilucidatur): iniuste agit pater, si seductio revera facta non est, vel etiam si crimen admissum est, sed longe minus obiecta seductione. Legimus siquidem in citata decisione c. Canestri: « Si quis falsum, aut diversum ab eo quod patratum est, crimen alteri impingat, tunc denuntiatus reus veram passus est iniustitiam, et conditio cui se subiecit ad declinandam reparationem vel poenam iniuriose comminatam eum non tenet: evidenter enim sub metu iniuste incusso voluntarium elicuit; nullus favor in optione acceptandi redemptionem, ubi nullum debitum extabat redimendum; imo maxima iniustitia sicut in imputando delicto, ita etiam et in electione illud compensandi proponenda invenitur ».

Ab huiusmodi decisione c. *Canestri* appellatum est ad turnum sequentem c. *Wynen*, qui quidem in decisione d. 21 aprilis 1942 hac proposita obiectione, quae ex facti specie erui poterat: « Etsi accusatio et imminens condemnatio ob non recte assertam defloration puellae et ob erroneas probationes paratas iniuste factae sint, tamen iuvenis nihilominus ad carcerem, licet minoris durationis, condemnatus fuisset si iuxta veritatem rei processus introductus fuisset ob meros actus impudicos in puella aetate minore commissos »: respondit: « Ad affirmandam vel negandam existentiam metus iniutse incussi non sunt consideranda facta quae accidere potuissent, sed exclusive facta quae in rerum natura raepse aderant. Haec autem facta, in exemplo allato, sc. iniusta accusatio, comparatio erratarum probationum et immerita deductio ad matrimonium, metum iuveni incussum reddiderunt omni ex parte iniustum; quoniam videlicet metus 'certe iniuste incussus dicendus est, si iuris ordo in debitam poenam infligendam non servetur, nam huiusmodi vox *iniuste* non quid, sed *quomodo* aliquid fiat praecise significat' (Cappello, De matrim., ed. 3, 606). Quae eidem iuveni in aliis circumstantiis accidere potuissent, nostra non interest, sed

tantum factum, quod ad evitandam imminentem punitionem evidenter iniustam iuvenis contraxit matrimonium ». Haec verba integre citare voluimus, quia maxime ad rem nostram faciunt (cfr. etiam Gasparri, *De matrim.* II, 853; De Smet, *De spons. et matr.* ed. 4, n. 538, nota 5).

9 - Obici potest denuntiationem non esse condemnationem atque innocentem posse in iudicio suam innocentiam probare. Verum praetermisso quod concurrentibus externis indiciis atque mendacio accusantis non semper facile sit in iudicio probare propriam innocentiam, saltem quoad illud peculiare delictum, propter quod denuntiatio obicitur: ipsa denuntiatio est malum, quod serio timeri potest praesertim ab eo qui integram famam hucusque habuit.

Postremo ad metus iniustitiam non tam attendendus est animus illius qui metum incutit et forsan bona fide agit, quam potius obiectiva rerum conditio, qua ius evidenter frangitur.

Decisio fertur pro nullitate.

(*Omissis*)

II°

Coram R. P. D. Dino Staffa, *Ponente*

CYPREN. MARONITARUM

Nullitatis Matrimonii

(Super nullitate dispensationis ob defectum causarum)

SENTENTIA DEFINITIVA

diei 23 martii anni 1956

Paula, catholica ritus latini, viginti annos nata erat cum Beriti, in ecclesia ritus Antiocheni Maronitarum, matrimonium celebravit, die 23 martii anni 1940, cum Petro, huius ritus Antiocheni Maronitarum. Quia nupturientes impedimento afficiebantur consanguinitatis in linea collaterali quarti gradus tangentis tertium, id est septimae faciei secundum computationem Maronitarum, rescripto diei 19 martii a. 1940 Patriarcha Antiochenus Maronitarum dispensationem concesserat.

Vita communis, quae initio felix videtur fuisse, postea dissensionibus turbata fuit, donec mense iulii anni 1946 definitive cessavit, quamvis interim filius editus fuisset.

Die vero 10 mensis novembris eiusdem anni, apud tribunal ecclesiasticum Cyprense Maronitarum uxor matrimonium nullitatis

accusavit ob invalidam dispensationem ab impedimento consanguinitatis, falsas asserens causas propter quas rescriptum concessum fuerat. Die tamen 7 octobris a. 1948 Judices primi gradus edixerunt assertam nullitatem non esse probatam. Hanc autem sententiam infirmandam censuit tribunal appellationis, seu patriarchale secundi gradus, die 23 augusti a. 1950. Appellatione a Defensore Vinculi interiecta ad Judices tertii gradus eiusdem tribunalis patriarchalis, die 16 septembris a. 1951 sententia prodiit pro validitate vinculi. Tunc actrix ad S. Congregationem pro Ecclesia Orientali provocavit, quae rem N. S. O. remisit. Die vero 5 januarii anni 1952 Exc.mus P. D. Decanus extraordinaria facultate qua pollet concessit ut, non obstantibus duabus sententiis negativis, de nullitate matrimonii videretur in quarto jurisdictionis gradu.

Nobis igitur judicandum est: « An constet de nullitate matrimonii, in casu ».

In Jure. - Cum matrimonium de quo agitur celebratum sit ante quam nova lex de disciplina Sacramenti Matrimonii pro Ecclesia Orientali promulgaretur Motu Proprio *Crebrae Allatae* diei 22 februarii 1949 (*AAS.* 1949, p. 89 ss.), in casu applicandae sunt normae traditae a Synodo Libanensi anni 1736 et a S. Congrega- pars. II, XI, 8, IV), impedimentum dirimebat matrimonium etsi tione de Propaganda Fide sua Instructione diei 9 maji a. 1877 (*Fontes C. J. C.* vol. VII, n. 4890), nec non a Codice Juris Canonici quatenus Ecclesiam Orientalem afficiat.

Quia can. 1097, § 2 C. J. C. decernit: « matrimonia catholicorum mixti ritus, nisi aliud particulari jure cautum sit, in ritu viri et coram eiusdem parocho sunt celebranda » (Cfr. etiam *Crebrae Allatae*, can. 88, § 3), jure matrimonium de quo agitur in ritu viri celebratum fuit.

Juxta responsum Pontificiae Commissionis Interpretis C. J. C., diei 29 aprilis a. 1940 (*AAS.* 1940, p. 212), mulier latina, quamvis declaret se vi can. 98, § 4 velle transire in matrimonio ineundo ad ritum orientalem viri, ad eundem non transit nisi post ipsum contractum matrimonialem, id est nonnisi consensu praestito, etsi statim postea (Cfr. D. Staffa, annotationes ad Responsum diei 29 aprilis 1940, in *Apollinaris*, 1940, pp. 186 ss.). Nupturientes proinde diversi ritus in matrimonio ineundo propriae manent disciplinae obnoxii etiam quoad impedimenta matrimonialia.

Ubi agebatur de matrimonio ineundo inter contrahentem ritus latini, in quo impedimentum consanguinitatis in linea collaterali Jure Codicis restringitur ad tertium gradum (can. 1076, § 2), et contrahentem alicuius ritus orientalis in quo, sicut in ecclesia Ma-

ronita, ante Motum Proprium « *Crebrae Allatae* » (can. 66, § 2) extendebatur ad quartum inclusive juxta computationem canonicam, octavum juxta computatione civilem (*Synodus Libanensis*, afficeret unum tantum e nupturientibus. F. M. Cappello tenet partem exemptam ab impedimento exemptionem suam communicare cum altera parte (*De Matrimonio* ed. 1950, n. 517), at haec norma eruenda esset a positivo praescripto, quia simplex norma juris naturalis exigit ut utraque pars sit omnimode libera ab impedimento ut contrahere possit; norma autem iuris positivi deest.

Docet *Angelicus:* « Matrimonium est relatio aequiparantiae; sed talis relatio aequaliter est in utroque; ergo, si sit impedimentum ex parte unius, non erit matrimonium ex parte alterius » (*Summa Theologica*, Suppl. part. III, q. 47, art. 4). Item *Benedictus XIV*, de validitate quaerens matrimonii inter mulierem protestantem et virum hebraeum, ait sufficere, pro invaliditate, ut mulier impedimento teneatur: « eo forme pacto, quo si Princeps aliquis subditorum cum exteris commercium sustulisset, atque irrita declarasset, ea, si forte fierent, inania haberentur, licet non uterque negotiatorum, sed unus tantum, subditus esset Legislatori » (Epistula *Singulari*, 9 februarii 1749 - *Fontes C. J. C.*, vol. II, n. 394, p. 195, § 8 -).

A S. Congregatione Concilii pluries confirmatum fuit principium quo: « inhabilitas unius ad matrimonium valide contrahendum facit, per se et ex natura rei, matrimonium invalidum pro utraque parte » (*Acta Sanctae Sedis*, vol. XL, p. 539. Cfr. etiam ibidem vol. XLI, p. 84, in nota et pp. 271 ss.; *Thesaurus resolutionum S. C. Concilii*, tom. CLXVII, a. 1908, p. 204).

S. Congregatio pro Ecclesia Orientali, in conventu plenario diei 9 maji a. 1932, irritum declaravit matrimonium initum inter catholicum latinum et catholicam orientalem ritus byzantini-romeni, quia inter eos aderat impedimentum non dispensatum quarti gradus consanguinitatis collateralis tangentis tertium, quod dirimens erat pro sponsa tantum. Nec obiici potest cum F. M. Cappello (l. c.) agi de casu particulari, nam nullitas in eo casu declarari non poterat nisi ex principio generali; decisio praeterea Patrum Cardinalium pro nullitate vinculi a Summo Pontifice in Audientia diei 14 maji anni 1932 approbata fuit « propter impedimentum consanguinitatis », non autem ob particularia casus adiuncta. Idem cl. Auctor (l. c.) addit quod tota ratio impedimenti consanguinitatis est correlativa, ita ut ad alium relationem natura sua praesupponat, id est ad consanguineum, ac propterea, deficiente ratione in altero extremo, impedimentum non existit. Respondetur omnia impedimenta natura sua praesupponere relationem ad alium: etenim

impedimentum vetat matrimonium contrahere, et matrimonium semper est cum altera persona; unde similis ratio esset urgenda pro omnibus impedimentis. Certum est e contra e. gr. fidelem non posse validum matrimonium contrahere cum infideli absque dispensatione ab impedimento disparitatis cultus, licet Ecclesia partem infidelem attingere nequeat nisi per inhabilitationem fidelis.

Huic principio, quo inhabilitas unius contrahentis per se et natura sua secumfert inhabilitatem ad eundem contractum cum qualibet alia parte, etiam habili, derogatum fuit pro impedimento clandestinitatis post Concilium Tridentinum (cfr. e. gr. Benedictus XIV, *De Synodo dioecesana*, L. VI, cap. VI, n. 12), sed hoc ex positivo praescripto auctoritatis ecclesiasticae, quae, concedendo communicationem libertatis, exceptionem induxit ad alia impedimenta non extendenda (cfr. *ASS*, vol. XLI, pp. 272-273; *Thesaurus resolutionum S. C. Concilii*, l. c.; *Decisiones S. R. Rotae*, vol. VIII, p. 128, n. 6, decisio 18 aprilis a. 1916 *coram Many*).

Habilitatem vero utriusque partis exigit can. 1036, § 3 C. J. C.; item can. 26, § 3 Motus Proprii *Crebrae Allatae* (cfr. P. Gasparri, *De Matrimonio*, ed. 1932, n. 711, 1; F. X. Wernz-P. Vidal, *De Matrimonio*, n. 349; A. Coussa, *Epitome*, vol. III, n. 43).

Ut dispensatio valeat in impedimentis matrimonialibus, Synodus Libanensis has tantum condiciones enumerat: « 1° - ut preces veritate nitantur... 2° - ut in supplicatione exponantur omnia quae debent exponi » (pars II, XI, 13).

De causis pro dispensationibus agens, eadem Synodus (II, XI, 12) imprimis citat Concilium Tridentinum, Sess. 24, *De reformat.* cap. 5, in quo necessitas memoratur causae in dispensationibus concedendis; postea (II, XI, 13) sancit regulam, jam supra relatam, a jure romano provenientem (C. I, 23, 7), a Gratiano repetitam (c. 16, C. XXV, quaest. II), a Decretalibus receptam (c. 2, X, I, 3): « si preces veritate nitantur »; dein (II, XI, 13 et 16) facultates indicat a Clemente VIII concessas litteris *Christifidelium* diei 17 augusti anni 1599, vi quarum Patriarcha Maronitarum dispensare potest in tertio et quarto gradu consanguinitatis vel affinitatis, e. gr. « si vir vel alius aliter non obligatus mulierem nullam dotem habentem dotare, aut vir ipse eam cum dote minus competenti ducere voluerit » (*Codificazione Canonica Orientale*, *Fonti*, fascic. XII, p. 404, n. 488).

In Instructione citata S. C. de Propaganda Fide legimus: « exploratum omnibus est dispensationes ab impedimentis matrimonialibus non esse indulgendas, nisi legitima et gravis causa interveniat. Quin imo facile quisque intelligit, tanto graviorem causam requiri, quanto gravius est impedimentum, quod nuptiis ce-

lebrandis opponitur... atque... operae pretium erit animadvertere, unam aliquando causam seorsum acceptam insufficientem esse, sed alteri adiunctam sufficientem existimari: nam quae non prosunt singula, multa juvant, arg. 1. 5, c. *de probationibus* ». (*Fontes C. J. C.*, vol. VII, pp. 459-460). Inter huiusmodi causas in eadem Instructione recensentur: « 1. *angustia loci* sive absoluta sive relativa (ratione tantum oratricis), cum scilicet in loco originis, vel etiam domicilii cognatio feminae ita sit propagata, ut alium paris conditionis, cui nubat, invenire nequeat nisi consanguineum vel affinem, patriam vero deserere sit ei durum. 2. *Aetas feminae superadulta:* si scilicet vigesimum quartum aetatis annum jam egressa, hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit. 3. *Deficientia aut incompetentia dotis*, si nempe femina non habeat actu tantam dotem, ut extraneo aequalis conditionis, qui neque consanguineus neque affinis sit, nubere possit in proprio loco, in quo commoratur. Quae causa magis urget, si mulier penitus indotata existat, et consanguineus vel affinis eam in uxorem ducere, aut etiam convenienter ex integro dotare paratus sit » (ibid. p. 460).

Quod auctoritatem dispensandi apud Maronitas, animadvertendum est Synodum Libanensem fuisse approbatam a Benedicto XIV in forma specifica (Constit. *Singularis Romanorum* diei 1 septembris a. 1741 — *Bullarium Benedicti XIV*, tom. I, n. XXXI —), ita ut Synodus illa facta sit lex pontificia; attamen in eadem decernitur Patriarcham facultatem habere dispensandi super synodalibus decretis in genere (IV, VII, 7), et super impedimentis matrimonialibus in specie (III, VI, 2, 18); immo additur: « Constat Maronitarum Patriarcham a secundo gradu (quarta facie) impedimenti consanguinitatis et affinitatis dispensare facultate ipsi a Sede Apostolica facta, non autem vi Synodi Libanensis » (*Collectio Lacensis*, Vol. I, *Addenda*, p. 411 in fine).

Quia e fontibus relatis patet Ecclesiae Antiochenae Maronitarum veterem disciplinam de necessitate legitimae causae ad dispensandum, substantialiter non differre e veteri disciplina Ecclesiae Latinae, in illius interpretatione attendendae sunt praxis Romanae Curiae et veterum Canonistarum sententia.

Dubium de validitate jam concessae dispensationis multiplici ex causa potest oriri: 1) aut quia dispensans legem relaxat, quamvis juxta rei veritatem antea novisset causam iustam non existere quae reapse non existat, aut existentem causam esse certe insufficientem prout revera insufficiens est; 2) aut quia dispensans legem relaxat erronee putans iustam causam non existere, aut esse insufficientem, dum e contra causa existit et sufficit; 3) aut quia dispensans legem

relaxat censens causam iustam existere, dum e contra obiective non existit.

In primo casu: a) si dispensatio concedatur ab inferiore in lege superioris vi potestatis ei concessae, nedum illicita, sed et invalida est: quia enim superior censetur rationabiliter agere, praesumendum est inferiori facultatem dispensandi concessisse sub conditione causae iustae et rationabilis; inferior proinde qui sine causa dispensat, potestatis suae limites excedit (cc. 13, 15, 21, 32, 37, 40, X, I, 29; c. 11, I, 3, in VI); haec sententia est a saeculis inter omnes Canonistas constans (cfr. e. gr. Joannes Andreae, *Commentaria novella*, L. III, tit. 35, c. 6, n. 29; Th. Sanchez, *De Matrimonii Sacramento*, L. III, disp. 17, n. 4 ss.; V. de Justis, *De Dispensationibus matrimonialibus*, L. II, c. 2, n. 49; L. III, c. 1, n. 15; etc.); b) praesumptio tamen quam innuimus destruitur concessione contraria facta ab ipso legislatore vel ab eius successore vel ab eius superiore in potestate legislativa (H. I. Cicognani - D. Staffa, *Commentarium ad Lib. I Codicis Juris Canonici*, vol. II, p. 619); c) dispensatio quae concedatur ab ipso legislatore vel ab eius successore vel ab eius superiore absque causa et scienter, valida est: lex enim pendet a legislatoris voluntate (cfr. e. gr. F. Suarez, *De Legibus*, L. VI, c. 14, n. 6 ss. qui plures citat; Th. Sanchez, *o. c.*, L. VIII, disp. 17, n. 4; A. Reiffenstuel, *Jus Canonicum*, L. I, tit. 2, n. 479; etc.). Si tamen legislator non agat ex certa scientia, i. e. nec scienter nec volutario absque causa dispenset, dispensatio est invalida (cfr. e. gr. Th. Sanchez, *o. c.*, L. VIII, disp. 21, nn. 12-20; Th. de Rosa, *De executoribus litterarum apostolicarum*, P. I., c. 6, nn. 20, 74, 119; P. Laymann, *Theologia Moralis*, L. I, tract. IV, cap. 22, n. 23; etc.): superior enim censetur licite agere, ideoque iustam causam exigere.

In secundo casu dispensatio, iuxta opinionem jam ante Codicem communem (cfr. e. gr. Th. Sanchez, *o. c.*, L. VIII, disp. 17, n. 11; F. Suarez, *o. c.*, L. VI, c. 13, nn. 11-16; c. 19, nn. 10-22; S. Alphonsus, *Theologia Moralis*, L. I, n. 181; etc.), valida est sive a legislatore sive ab inferiore dispensatio concedatur (nisi tamen cognitio a superiore requiratur ad validitatem dispensationis): ratio est quia validitas dispensationis pendet ab existentia causae, non ab eius cognitione (cfr. etiam *Decisiones S. R. Rotae*, vol. XXVII, p. 152, n. 2 et p. 153, n. 3, decisio 21 maji a. 1935 *coram Heard;* decisio 14 januarii a. 1950 *coram Filipiak;* decisio 28 martii a. 1952 *coram infrascripto Ponente*).

In tertio casu dispensatio invalida est, si eiusdem concessio causetur falsitate precum oratoris, qui mala fide causam falsam aut non existentem adduxit (cfr. e. gr. Th. Sanchez, *o. c.*, L. VIII, disp.

17, n. 7; disp. 21, nn. 13-18; Th. de Rosa, *l. c.;* S. Alphonsus, *o. c.*, L. I., n. 185; etc.); quoties e contra concessio pendeat ex errore dispensatis, cui res fideliter exposita fuit et bona fide aestimat iustam causam adesse, ante Codicem dispensatio a quibusdam putabatur valida, sive dispensans esset superior, qui causa non indiget ad valide dispensandum, sive esset inferior, quia censendum esse dicebant eidem legislatorem in casu potestatem dispensandi tribuisse, ut scrupuli et anxietates vitarentur (cfr. e. gr. P. Laymann, *Theologia Moralis*, L. I, tract. IV, c. 22, n. 12; V. de Justis, *o. c.*, L. III, c. 3, n. 68; F. Schmalzgrueber, *Jus Ecclesiasticum*, L. IV, tit. 16, nn. 167-168; et alios quos citant S. Alphonsus, *o. c.*, L. III, n. 251; M. Bonacina, *De Morali Theologia*, tom. III, disp. I, quaest. II, punct. III, n. 8; A. Van Hove, *De Privilegiis et dispensationibus*, n. 479); alii e contra autumabant in hoc casu dispensationem invalidam esse (cfr. e. gr. M. Bonacina, *l. c.;* S. Alphonsus, *o. c.*, L. III, n. 251; I. D'annibale, *Summula Theologiae moralis*, pars I, n. 233), quia plus valet quod est in rei veritate quam quod in opinione est, nec nimis urgeri potest ratio prospiciendi tranquillitati animorum, quia secus dicendum esset Praelatos quoque inferiores semper valide dispensare, seu leges et disciplinam Ecclesiae posse relaxare (cfr. Decisio cit. 28 martii a. 1952 *coram infrascripto Ponente*).

Dispensatio tandem concessa in dubio de sufficientia causae, juxta antiquam, communem ac constantem doctrinam (cfr. e. gr. P. Laymann, *o. c.* L. I, tract. IV, c. 22, n. 12; S. Alphonsus, *o. c.*, L. I, tract. 2, n. 192; I. D'annibale, *o. c.*, I, n. 231) valida est.

Communius e converso negabatur, praesertim sub veteri jure, validitas dispensationis concessae in dubio de existentia causae (sententiam negantem propugnant Salmanticenses, *Cursus theologiae moralis*, tract. XI, c. 5, punct. 6, n. 76; eandem communem vocant Ballerini-Palmieri, *Opus theol. mor.* ed. 3ª, I, n. 196; S, Alphonsus vero in *o. c.*, L. I., n. 178 negat validitatem dispensationis, in L. III, n. 251 eam admittit).

Post concessam dispensationem, in dubio de celebrati matrimonii valore, pendente a validitate dispensationis, haud semel jurisprudentia N. S. T. monuit: « juris praesumptionem quae jubet omnem actum praesumi recte factum, donec evidenter contrarium evincatur, extendi etiam ad causas dispensandi quae adfuisse praesumuntur morali modo consideratae, nisi contrarium probetur » (*Decisiones S. R. Rotae*, vol. II, p. 229, n. 11, decisio 30 junii a. 1910 *Videntibus Omnibus*, ubi Auctores indicantur. Cfr. etiam vol. XVII, p. 201, n. 6, decisio 25 maji a. 1925 *coram Mannucci;* vol. XVIII, p. 169, n. 3, decisio 6 maji a. 1926 *coram Florzack;* vol. XXXIV, p. 139, n. 17, decisio 3 martii a. 1942 *coram Wynen*).

Numerus causarum quae in documentis Apostolicae Sedis recensentur, *Formulis Apostolicae Datariae pro matrimonialibus dispensationibus*, editis anno 1901, et *Praxi Apostolicarum Dispensationum Datariae Apostolicae*, edita a. 1902 non exceptis, non est taxativus (cfr. *Decisiones S. R. Rotae*, vol. II, p. 229, n. 12, decisio 30 junii a. 1910 *Videntibus Omnibus;* vol. XVIII, p. 168, n. 2, decisio 6 maji a. 1926 *coram Florzack; Praxis* citata p. 15, n. 73 ss.) » potissimum quoad dissitas regiones, ita difformes a nostris moribus, ubi applicari debent juxta prudentem aestimationem Ordinariorum » (*Decisiones S. R. Rotae*, vol. II, p. 229, n. 12, decisio citata;cfr. etiam G. Michiels, *Normae Generales*, ed. 1949, vol. II, p. 743).

Semper autem repetitum fuit monitum contentum in Instructione citata S. Congregationis de Propaganda Fide, id est in gravitate causae aestimanda rationem habendam esse gravitatis legis relaxandae, ita ut pro lege minoris gravitatis levior causa sufficiat (cfr. *Decisiones S. R. Rotae*, vol. XVIII, p. 168, n. 2, decisio 6 maji a. 1926 *coram Florzack;* vol. XXXVI, p. 36, n. 9; decisio 12 januarii a. 1944 *coram Caiazzo; Formulae Apostolicae Datariae* cit. Annotationes), una cum alio pariter in eadem Instructione contento: singula quae non prosunt simul collecta juvant (cfr. *Decisiones S. R. Rotae*, vol. XVIII, p. 168, n. 2, decisio citata; vol. XXXVI, p. 36, n. 9, decisio citata).

De singulis autem causis nunc in controversiam deductis haec animadvertenda sunt.

Tamquam gravis dispensandi causa recensetur in citata Instructione S. Congregationis de Propaganda Fide (cfr. etiam *Praxis Apostolicarum Dispensationum Datariae Apostolicae*, p. 19, n. XII) *aetas superadulta* virginis seu innuptae. Ut ex hoc capite causa canonica habeatur, requiritur ut virgo jam vigesimum quartum annum aetatis sit egressa. Nihilominus aetas quae huic sit proxima pro impulsiva aestimari potest. Insuper, praesertim in hac causa consideranda, « ratio habenda est morum regionum » in quibus nupturientes commorantur. *Inexistentia optabilioris coniugii* in documentis Apostolicae Sedis non recensetur inter causas canonicas, quamvis ratio habeatur condicionis oratricis et viri (cfr. *Praxis* citata, p. 17, nn. 86-88); inter causas canonicas enumeratur tamen *defectus dotis* (cfr. Instructio citata S. Congr. de Propaganda Fide 9 maji a. 1877 - *Fontes C. J. C.*, vol. VII, n. 4890, p. 460 -; *Praxis* citata, p. 17, n. XI) et inter causas impulsivas « *convenientia matrimonii* » (cfr. e. gr. P. Gasparri, *De Matrimonio*, ed. a. 1932, vol. I, p. 191. n. 319; F. X. Wernz - P. Vidal - Ph. Aguirre, *Jus Matrimoniale*, ed. a. 1946, p. 561, n. 433).

Amor sponsorum in nullo elencho officiali et a nullo probato Auctore indicatur tamquam causa canonica dispensandi (cfr. *Decisiones S. R. Rotae*, vol. XXXIV, p. 140, n. 17, decisio 3 martii a. 1942 *coram Wynen;* decisio 28 martii a. 1952 *coram infrascripto Ponente*).

Praxis tamen citata *Datariae Apostolicae* sancit: « *Sine causa* etiam, sine nempe *speciali* aliqua causa, dispensatio datur in gradibus remotioribus ob causam boni publici, Pontificis animum moventem. Publico enim bono expedit in praesenti faciliora reddere matrimonia. Quare dispensationes nunc conceduntur in *tertio et in quarto gradu* sola expositione, *quod oratores valde ipsi se mutuo diligentes firmum jam efformaverint matrimonii inter se ineundi propositum* » (p. 26, n. 130).

Quoties vero non agatur de tertio et quarto gradu dispensando, inter causas implsivas recensetur « *propositum contrahendi propalatum* » (P. Gasparri, l. c.; F. X. Wernz - P. Vidal - Ph. Aguirre, l. c.). Praeterea « S. Poenitentiaria etiam attendit ad alias causas, v. g. si parentes matrimonium valde desiderant... aut si sponsi magno amore intuitu matrimonii sese prosecuti sunt » (cfr. F. X. Wernz - P. Vidal - Ph. Aguirre, *o. c.*, p. 561, nota 114).

Sponsalia iuxta nuper dicta jam ante Codicem iustam causam constituere poterant dispensationis in tertio et quarto gradu consanguinitatis; in ceteris tamquam causa impulsiva aestimari valebant.

Denique recolendum est principium, jam a Decretalibus receptum (cfr. c. 46, X, V, 3 et e. gr. Johannes Andreae, *Commentaria Novella*, Lib. V, tit. 3, *De Simonia*, c. 46, *Mandato*, n. 3; Th. Sanchez, *o. c.*, Lib. VIII, disp. 2, n. 1 ss.), quo facultas dispensandi late interpretanda est, nisi sit ad certum casum concessa.

In Facto. - Impedimentum consanguinitatis in quarto gradu tertium tangente, quo Paula et Petro detinebantur, tempore quo nuptiae celebratae sunt matrimonium dirimebat pro Maronitis; abrogatum enim fuit Motu Proprio *Crebrae Allatae* diei 22 februarii a. 1949.

Ad impetrandam dispensationem super hoc impedimento preces oblatae sunt in quibus duae causae adducebantur, *amor nempe oratorum et inexistentia optabilioris coniugii.*

Patriarcha Antiochenus Maronitarum dispensationem elargitus est propter quatuor causas, ita in rescripto expressas: « L'âge avancée de la jeune fille. L'inéxistence de meilleur parti. L'amour réciproque. Les fiançailles ».

Actrix autem contendit dispensationem nullitate laborare, quia causae in rescripto enunciatae falsae sunt.

Quoad primam causam, id est provectam sponsae aetatem, cum ipsa viginti annos et duos menses die quo matrimonium contraxit nata esset, agnoscendum est hanc causam uti motivam seu canonicam afferri non potuisse: etenim aetas feminae superadulta, quae inter causas canonicas, ut in jure diximus, recensetur, non habetur antequam aetas viginti quatuor annorum sit superata.

Quamvis judices tertii gradus animadverterint: « Celle qui a cette âge est considerée comme avancée en âge, surtout dans notre pays », concedendum est primam causam considerari non posse nisi uti impulsivam, et quidem levioris momenti.

Quoad secundam causam, id est inexistentiam optabilioris coniugii, tenendum est causam quidem impulsivam fuisse, sed gravioris ponderis. Aderat quidem juvenis nomine Antonius ,qui Paulam ducendi in uxorem votum ostenderat, at inferioris erat condicionis Petri. Mater actricis rationem praebet qua matrimonium filiae cum Antonio optandum non erat: « nous ne voulions pas lui donner notre fille, car il avait quatre soeurs à la maison avec leur maman. Et notre fille est une citadine et nous ve voulions pas la marier à... Matrimonium autem actricis cum Petro nedum illius avia et mater magnificabant, sed et pater, qui deponit: « Il avait (sponsus) les apparences du jeune homme chic et distingué ». Addenda sunt insuper quae Judices tertii gradus adnotarunt: « Paule était une étrangère à Alep, sa fréquentation était étroite ».

Jamvero convenientia matrimonii inter causas impulsivas enumeratur, ut vidimus.

Gravitas autem huius causae defectu dotis augetur, iuxta dicta in jure. Ait enim vir: « Ma femme n'avait pas de dot », eumque confirmat actricis mater.

Amor sponsorum inter causas canonicas, ut vidimus, non venit. Recolenda sunt tamen ea quae in jure tradidimus, vi quorum, jam ante Codicem Juris Canonici dispensationes concedebantur: « In tertio et in quarto gradu sola expositione quod Oratores valde ipsi se mutuo diligentes firmum jam efformaverint matrimonii inter se ineundi propositum ».

Negat actrix amorem inter se et sponsum intercessisse, contendens epistolas amore flagrantes ante nuptias sponso a se missas fuisse avia jubente et dictante; sed hoc nequit admitti, quia etiam inito matrimonio, avia absente, litteras similes Paula scripsit marito; insuper eodem tempore: « Paule paraissait contente et heureuse ».

Quoad quartam causam, id est sponsalia, pariter memoranda sunt tradita in jure: inter causas impulsivas venit enim propositum contrahendi propalatum. Ante dispensationem sponsi fidem sibi mutuo dederant, etsi sine forma canonica, ineundi matrimonii. Hoc actrix admittit, et eius mater fusius describit: « La date des fiançailles a été fixée entre ma mère et moi d'une part et Pierre et sa mère d'autre part. Et à cette occasion nous avons offert un banquet... de sorte que le nombre des invités était une centaine... Et c'est la mère de Pierre qui a mis l'alliance dans la main de la fiancée qui était gaie comme toute fille de 20 ans à pareille occasion »; pater vero refert: « Quand ma fille m'a écrit sur le fiançailles, mes amis ont su et ils ont publié la nouvelle dans les journaux »; haec omnia confirmantur epistolis eo tempore ab actrice missis Petro.

Quarta igitur causa vera erat nec nullius momenti.

Haud ambigendum est, juxta normam quam legimus, his ombus de causis simul collectis Patriarcham legitime potuisse dispensationem impetratam concedere, immo quartam ex se sola in casu fuisse sufficientem.

Contendit Patronus actricis, rescriptum dispensationis irritum esse, quia datum ob rationes ab adductis diversas, ideoque aestimandum veluti sententiam latam ultra seu extra petita.

Ex iis quae in jure diximus ad secundum casum, patet hoc argumentum nullius ponderis esse; haud dubium est insuper dispensantem, sicut causas sibi notas reticere posse in rescripto, utpote ex. gr. infamantes, ita causas ab oratore expressas aliis a se cognitis supplere valere; si tandem concessionem dispensationis comparare velimus sententiae judiciali, causae ad illam impetrandam adductae, non sunt considerandae tamquam petita, sed causae petendi: non enim causae petuntur, sed dispensatio; et sicut judex rationibus expositis a parte alias addere non prohibetur, ita dispensans.

Quibus omnibus tam in jure quam in facto rite perpensis, Nos infrascripti Auditores de turno, pro tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato edicimus, decernimus et sententiamus: « Non constare de nullitate matrimonii, in casu »; proposito dubio respondentes: « Negative ».

III°

Coram R. P. D. Pericle Felici, *Ponente*

FLORENTINA

Nullitatis matrimonii

(ex capite defectus consensus ob phraenastheniam)

Decisio diei 22 maii 1956

(*Omissis*)

In Iure. - 2 - Ad valide contrahendum matrimonium requiritur ea mentis discretio quae sinat peculiarem naturam et vim contractus matrimonialis percipere: atque id robur voluntatis, quod ad corrivantia iura obligationesque danda et acceptanda par sit. Huiusmodi discretio et voluntas iure praesumitur in iis qui pubertatem egressi sunt, adeo ut, si contrarum praetendatur, validis probandum sit argumentis.

Pressius circa discretionem, censuerunt quidam non valere matrimonium nisi contrahens percipiat momentum matrimonii, id est eius valorem ethicum, socialem, religiosum. Hoc quidem esse peroptabile nemo sane neget: at esse prorsus necessarium, ita ut secus matrimonium non valeat, non una iam Rotalis decisio explosit: conferatur notissima decisio c. *Wynen* (dec. 15 anni 1941) et, praxim quod spectat, recolantur praesertim quae habentur in una c. *Canestri*, d. 16 iulii 1943: « Si excludantur casus amentiae et dementiae et considerentur homines atque mulieres plus minusve ad vitam socialem apti, dicendum est consensum in matrimonio unum ex illis actibus esse, in quibus natura et ordo iuridicus societatis nullam praeter ordinariam aestimationem, quae habetur de re seria de futuro, requirunt. Ita tenuit communis humani generis sensus, qui numquam iudicavit matrimonia incultorum et inferioris mentis hominum fuisse invalida. Hoc natura praecipit: nam duae sunt principales viventium activitates: conservatio individui et conservatio speciei: haec postrema, quae a Providentia Dei et ab instinctu potentissimo reproductionis plerisque imponitur, certe simplicioribus mediis iniri et exsequi debet. A quibus ideo exsulare necesse est tot normas et conditiones per saecula nec suspicata. Aestimatio valoris actus in consentiendo satis superque hauritur ex intimo contrahentis sensu atque ex status coniugalis experientia, quam quisque a puero, videndo, sumit ».

Ea propter licet concedendum sit cum S. Thoma maiorem requiri, in consensu matrimoniali, discretionem quam pro peccato mortali: cum eodem S. Thoma tenendum est: « In illis, ad quae

natura inclinat (et inter haec certo certius est matrimonium), non exigitur tantus vigor rationis ad deliberandum sicut in aliis; et ideo ante potest in matrimonium sufficienter deliberans consentire, quam possit in contractibus aliis res suas sine tutore pertractare. Et similiter dicendum est ad secundum, quia votum religionis est de his quae sunt sine inclinatione naturae, quae maiorem difficultatem habent quam matrimonium » (Suppl. q. 58, a. 5, ad 1 et 2).

3 - Quaeritur in praesenti an necessaria discretione polleant phraenasthenici.

Phraenasthenia, quae et oligophraenia, audit in genere deficientem evolutionem psychicam, sive ea congenita est, sive acquisita ex morbis cerebri, durante vita uterina, vel in partu, vel tandem tempore infantiae.

Phraenasthenia diversos gradus habet, et progreditur ab aliqua mentis debilitate, quae *paupertas spiritus* a psychiatris nuncupatur: in *imbecillitatem*, cuius acies intellectiva inferior est pueris quattuordecim annorum: denique in *idiotiam*, cuius discretionis gradus non excedit intellectum pueri sexennis.

Idiotae non raro praeseferunt characteres hypoevolutivos, ut dicunt, sive somaticos sive functionales, ut microcephaliam, deficiens incrementum corporis, sensus obtusos, perturbationes motus et loquelae: in casibus gravioribus iidem idiotae fere nullam praebent educationis et institutionis spem.

Imbecilli vero educationi et institutioni maiore cum successu subiciuntur: interim tamen sensu critico saepe destituuntur, et aliorum instigationi facile cedunt: apparent plerumque inepti, creduli, recte iudicandi ratiocinandique incapaces, licet habilitatem aliquam in quibusdam rebus plane mechanicis (ut in recordandis numeris aut nominibus) ostendant: « Negli imbecilli i giudizi sono puerili, errati, privi di ogni valorizzazione dell'esperienza, e i poteri critici ridotti a forme elementari » (Moglie, *Manuale di psichiatria*, p. 210). Mythomania pariter aliquando afficiuntur, phobiis et obsessionibus. Hi quidem, cum, uti diximus, sensu critico non polleant aliorumque suggestioni facile sint obnoxii, fieri possunt in humana consortione periculosi: «Molto spesso l'imbecille è un perverso, brutale, mentitore, ladro, simulatore e dissimulatore, impulsivo e aggressivo, dimostrando di avere quel tanto di forza e di intelligenza che sono sufficienti per nuocere » (Moglie, op. cit p. 210): idque non semel faciunt per incitationem quandam complexus, ut dicitur, inferioritatis, quo se affici experiuntur. Nullus tamen astus in ipsorum criminibus, nulla sagacia: ita ut auctor facile detegatur et pu-

niatur (cfr. PALMIERI, *Medicina legale canonistica*, p. 34: MOGLIE, op. cit. p. 207).

4 - Quinam sit gradus imputabilitatis vel discretionis in imbecillis, non facile est dictu: semper quidem ea imminuta apparet, sed an ecusque imminuta ut consensus in matrimonium, prout descripsimus, dari non possit, ardua res est in praxi definire. Non enim agitur de intima perturbatione mentis, uti v. c. in paranoia, in schizophraenia, in melancholia depressiva, ad quos morbos se referunt faventes decisiones, a patronis citatae, scilicet *Romana*, d. 26 februarii 1952: *Florentina*, d. 6 aprilis 1954: *Ambianen.*, d. 15 februarii 1955, omnes c. *Felici:* sed tantum de aliqua imminutione facultatis discretivae, quae insuper per aptam curationem emendari aliquatenus potest. Non erit igitur conspicua acies imbecillorum: sed eam satis non esse matrimoniali consensui eliciendo, nisi forte idiotarum gradui propius accedat, quis cum certitudine statuat?

5 - In medium quoque addicitur a perito ex officio huius causae *imbecillitas moralis*, propter quam mulier conventa prohibita fuisset legitimum consensum praestare. Sed notio imbecillitatis moralis non ita perspicua est si prof. Iulius Moglie n opere citato scribere potest: « Noi, come neghiamo la figura del delinquente nato secondo i concetti della scuola positivista, così non riteniamo affatto che esista una costituzione delinquenziale « fattore essenziale e specifico della criminalità » — una monogenesi anormale del delitto, secondo il pensiero del Patrizi, — come esiste un costituzione distimica, schizofrenica, isterica ecc. Noi possiamo ammettere che sui confini della psicopatologia, o come espressione ibrida di costituzioni anormali non ben definite, possa esistere una tendenza cstituzionale, che, con il contributo dei fattori endogeni ed esogeni, deformando la coscienza morale, induca a pensare e a compiere atti immorali e antisociali, ma che tuttavia, come già dicemmo, non ha valore giuridico discriminante, se non quando acquisti la figura clinica di « infermità mentale », come è nel senso e nella lettera delle nostre leggi » (p. 212). Unde merito TANZI-LUGARO: « E' meglio non commettere lo sbaglio di inviare fra i pazzi, dichiarandoli impunibili, i rei per deficienza costituzonale di sentimenti etici, per imbecillità morale, per pazzia morale, ai quali i periti zelanti hanno reso un ben discutibile servizio facendoli prosciogliere per infermità di mente. Giacchè non possono essere ritenuti in istituti adatti, è meglio che questi anfibi lucidi, ma moralmente imperfetti, vadano in *carcere* al quale sono certo assai più adatti che non al manicomio » (*Malattie mentali*, II, p. 754): quae verba ita commentatur dec. c. *Wynen*, superius

citata: « Siquidem illi homines considerandi sunt ut tales quibus crimina imputari debent. Quo iure tunc eis abiudicatur facultas ponendi actum vere humanum, v. g. validum consensum matrimonialem? Nobis respondetur tales homines non sufficienter aestimare valorem et momentum matrimonii omniumque obligationum cum eo connexarum. Sed quomodo scire possumus talem defectum esse adeo gravem ut aestimare nequeant substantialem valorem matrimonii, si ipse Tanzi fatetur difficulter statui posse fines certos inter normam et anomaliam, hisce verbis: « In tutti i modi non bisogna dimenticare che questo genere di anomalia si ricollega (come qualunque altro tipo di anomalia psichica o somatica) per gradazioni infinite alla normalità e che non è scientificamente corretto voler introdurre a tutti i costi una distinzione netta la dove obbiettivamente c'è un passaggio graduale e insensibile » (op. cit. I, 377) ».

6 - In nostra iurisprudentia receptum est peritorum deductionibus valde esse deferendum: sed praesertim ubi hi discrepant vel circa facti substantiam vel circa rationes concludendi, potest et quandoque debet iudex ab ipsorum conclusionibus abscedere: nam peritus peritorum semper iudex manet, in re potissimum psychologica ubi « cautissime consideranda sunt vota psychiatrorum, qui nihilominus declarant defuisse aliquod elementum essentiale validi consensus. Siquidem adaequate describere actiones facultatum spiritualium hominis, iam theoretice est res ardua, quae per plus quam duo millia annorum, ab Aristotele usque ad hodiernam diem occupavit et etiam nunc occupat mentem virorum maxime acutorum et perspicacium, speculationi metaphysicae et investigationi veri deditorum. Neque minus difficile est in casu practico alicui homini, sufficienti intelligentia communi ac libero arbitrio praedito, abiudicare facultatem ponendi actum vere humanum, saltem quoad obiectum determinatum de quo agitur, v. g. matrimonium. Id eo magis tenendum est, quia cognitio conceptualis et cognitio aestimativa regulariter per numerice eundem actum natura duce peraguntur, et quia praesumendum est determinatum quendam hominem adultum, qui gaudet generali intellegentia et libero arbitrio, atque cognitione de natura matrimonii descripta in cit. can. 1082, naturam necnon cum ea coniunctum valorem reapse cognoscere posse per actum mentalem, qui requiritur et sufficit, ut deinceps voluntas actu humano eliciat consensum validum » (dec. 15 a. 1941 c. *Wynen*).

(*Omissis*)

Decisio fertur pro vinculo.

STUDIA
ET
CONSULTATIONES

DE REGIONE MISSIONALI

Hisce postremis annis rerum adjuncta quibusdam in missionum locis Sacram Cong. de Prop. Fide induxerunt ad constituendam novam iuridicam formam pro ordinando exterorum missionariorum labore.

Secundum ea quae referuntur ad missionum constitutionem, missionarii exteri, quorum curis ipsa Sancta Sedes aliquam dioecesim vel quasi-dioecesim commisit, potiores partes tenent in excolenda illa Domini vinea sed etiam principaliora officia in ea regenda occupant. Clerus nativus potius in secundario loco adlaborare et exteris missionariis sociam operam praestare videtur.

Cum vero plurimis in missionibus apostolatus laetissimos collegerit fructus et sacerdotes nativi numerosioses fuerint, Sancta Sedes curis Antistitum et praesbiterorum, qui in eadem regione originem duxerunt, libenter concredidit plura territoria. Sed clerus nativus, licet frequentior, impar est ad evangelizandam gentilium multitudinem, qui intra limites dioecesis vel quasi-dioecesis adhuc vivunt. Qua de causa indiget auxilio missionariorum exterorum, qui sociam operam sacerdotibus nativis praestent. Antea potiores partes in excolenda et regenda missione missionarii exteri occupabant; nunc vero sacerdotibus indigenis eadem reservantur.

Quae nova praxis usitata est prius in aliqua Indiae dioecesi ac postea in Sinis sed praesertim in Iaponia ordinaria evasit cum Summus Pontifex durante secundo bello mundiali omnes dioeceses et quasi-dioeceses Ordinariis et sacerdotibus iaponensibus concredidit.

Prius pauci tantum missionarii apostolatum exercere pergebant sub iurisdictione Ordinarii nativi et generatim operam praestabant in regenda aliqua schola, vel paroecia vel collegio. In Iaponia vero et nunc etiam in aliis territoriis habentur plurimi missionarii, quorum curis Ordinarius nativus et S. C. de Prop. Fide amplam regionem demandant ut inibi evangelium gentibus praedicent.

Territorium, quod frequentissime saepe habitatur, non distrahitur a dioecesi vel quasi-dioecesi ac proinde fideles et misionarii exteri sub iurisdictione Praesulis nativi remanent et vocatum prius fuit vicariatus foraneus. Vocabulum vero propositum plures improprium modo animadverterunt, cum parum novo instituto iuridico responderet, ut facile erui potest ex normis sacrorum can. 445-450 relate ad usitatum vicariatum foraneum.

Quo pressius determinaret novum institutum iuridicum, in ius canonicum introductum, eadem S. C. de Prop. Fide die 4 octobris 1954 [1] epistolam transmisit ad Internuntium in Iaponia, in qua proposuit ut territorium commissum curis missionariorum exterorum Regio missionalis appellaretur et Superior religiosus eorundem missionariorum vocaretur Vicarius regionalis.

Eadem S. C. mandat ut inter Ordinarium loci et Superiorem Generalem Instituti missionalis conventio ineatur, in qua sint clare determinata iura et officia utriusque partis. Generatim statuitur ut conventio valorem habeat per viginti quinque annos et, consentientibus duabus partibus, renovari potest. Necesse est ut eadem conventio examini Sacrae Congr. de Prop. Fide subiiciatur et ab eadem approbetur. Qua de causa tria exemplaria Romam transmittantur.

Supradicta conventio insequentia iura et officia generatim statuit:

1. Superior Generalis Instituti missionalis in se recipit officium mittendi in Regionem missonalem missionarios, qui numero pares sint ad opera apostolatus sustinenda et ad Christi regnum prolatandum.

2. Regio missionalis, cuius fines accurate designentur, semper pertinet ad dioecesim vel quasi-dioecesim Ordinarii contrahentis, sicut ceterae partes territorii eiusdem dioecesis vel quasi-dioecesis.

3. Ad normam sacrorum canonum Ordinarius loci super ipsam Regionem missionalem plena iurisdictione gaudet, exceptis peculiaribus praescriptis in conventione contentis.

4. Quoad curam animarum et opera apostolatus exercenda omnino dependent missionarii exteri ab Ordinario loci ope Vicarii Regionalis, qui eodem tempore munere Superioris religiosi fungitur ad normam Instituti constitutionum.

5. Per ipsum Vicarium Regionalem missionariis Regionis Ordinarius concedet omnes facultates necessarias ad curam animarum exercendam. Ad quem finem securius obtinendum idem Ordinarius loci Vicarium Regionalem nominare potest suum Delegatum episcopalem pro illa Regione cum facultate subdelegandi (can. 199), vel plane Vicarium Generalem eligere pro illo territorio.

6. Vicarii Regionalis est ut missionarii rite instituantur et erudiantur ad diversa opera ministerii pastoralis et insuper ut eorum vitae atque actuositati invigilet. Circa modum mittendi aut revocandi missionarios valent normae praescriptae ab Instructione S. C. de Prop. Fide, lata die 8 decembris 1929.

---

[1] Archivum S. C. D. P. F., Prot. n. 3607/54.

7. Ad Vicarium Religionalem spectat ius proponendi missionarios aptiores officio parochi vel quasi-parochi, quos ad normam sacrorum canonum Ordinarius loci nominat. Ceteros cooperatores in cura animarum exercenda ipse Vicarius Regionalis inter suos missionarios nominat et transfert, consulto tamen Ordinario loci.

8. Rationes inter missionarios Regionis missionalis et Ordinarium loci reguntur normis Instructionis a Sacra Congr. de Prop. Fide die 8 decembris 1929 vulgatae praesertim circa ea quae possessionem et administrationem bonorum respiciunt.

9. Inter et extra limites Regionis missionalis Institutum missionale bona temporalia et opera possidere et regere potest, dummodo normae statutae a sacris canonibus et ab ipsa S. C. de Prop. Fide observentur.

10. Ad opera apostolatus in loco promovenda Regio missionalis a PP. OO. Missionalibus peculiare subsidium directe recipit, salvo iure vigilantiae ipsius Ordinarii.

11. Regio missionalis solum relate ad disciplinam internam religiosam et ad normam Constitutionum Instituti haberi potest ut missio quaedam independens.

12. Auctoritatem Vicarius Regionalis exercet tantum circa missionarios sed ab ipso Ordinario loci recipere potest iurisdictionem etiam super fideles, secundum ea quae supra diximus.

13. Post obtentum consensum Ordinarii loci Superior Generalis Instituti nominat vel transfert Vicarium Regionalem.

